


Liber
Bibliothecæ Academicæ Halensi
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinensi,
TESTAMENTO DONATUS.
1729.

Del. 25









GEORGI SEGERI
THORUNENSIS
TRIUMPHVS
ET
QVERIMONIA
CORDIS.

BASILEAE, Apud JOANNEM KÖNIG. Anno 1661.

ORDINARIUS

TRIVMPHVS

OVERIMONTA

EXORDIO

EXORDIO



TRIUMPHUS
NOBILISSIMO VISCERI

C O R D I

Post felicissimè tandem obtentam

D U C E

Celeberrimo Anatomico

THOMA BARTHOLINO

Ex totali Hepatis Clade

VICTORIAM

Primum quidem

HAFNIAE

AN. MDCLIV

erectus

Jam verò

BASILEAE

repetitus

à

GEORGIO SEGERO, THORUNENSI,
Philos. & Med.



BASILEAE, Apud JOANNEM KÖNIG, 166L.

SUMMIS
Saluberrima Artis
PROCERIBUS.

DN. D. JOH. GUILIELMO MANNAGETTÆ,
Asclepiadarum verè Principi, Trium AA Augustis. Imppp.
Protó-Medico, & totius Collegii Medici, quod Viennæ est,
Seniori Amplissimo.

DN. D. JOHANNI CASPARO BAUHINO,
Potentis. Gall. Regis & diversorum Germaniæ Princ. Ar-
chiatro, Medicinæ Practicæ Prof. Publ. & totius Collegii
Medici, quod Basileæ est, Decano p.t. Spectatissimo.

DN. D. CHRISTOPHORO MEISNERO,
Inclutæ Reipubl. Thorunensis Physico Primario, Medicique
Collegii Seniori Gravissimo.

DN. D. JOHANNI DANIELI HORSTIO,
Archiatro Hasso-Darmstadiano, nuper Marpurgij, jam Gief-
sæ Medicinæ Prof. Publ. Primario.

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO,
Medicinæ in Regia Hafniensi Antecessori & Decano perpe-
tuo.

DN. D. JOHANNI JACOBO WEPFERO,
Inclytæ Reipubl. Schaffhusianæ Archiatro Dignissimo.

DN. D. SIMONI SCHULTZIO,
Inclytæ Reipubl. Thorunensis Physico Ordinario Felicif-
simo.

FAUTORIBUS AC AMICIS SUIS

Gratiosissimis

Hunc

CORDIS TRIUMPHUM

Devoto Corde

Dicat

A U T O R:





VIRO DOCTISSIMO

Dn. Georgio Segero Thorunensi,
Triumphum Cordis meditati.

Sanguinis Imperium Cordi quod contulit Hepar,
BARTHLINI invento, dexteritate novâ,
Res est mira quidem! majori ast digna triumpho
Extracta è latebris, Lympha decora, suis.
Invidiae quamvis stimulis agitetur apertis:
Vidimus, & crebro nostra Theatra simul.
Hæc dum SEGERE applaudens jam laudibus effers,
Rem præstas dignam sedulitate tuâ.

Anno 1654.

OLAVS WORM, D. Med. Profess. Regius
Acad. p. r. Rector.

In Cl. & Doctiss. Viri
Dn. GEORGI SEGERI,
Triumphum Cordis.

Cor redit, & patria repetens vestigia sedis
Incipit ex extis querere posse fidem.
Jam licet antiquos regni cognoscere cursus,
Raptaq; cor datâ Sceptra tenere manu.
Lympha suis redviva viis & fonte recurrit,
Et nivei lactis pocula mista fluunt.
Cormicat, & tandem sua cor præcordia sentit,
Quæq; aliis cessit, jam probat esse sua.
Ultima nos tecum reddamus secula cordi,
Ut redeant Domino sceptra serena suo.
Obvius assurge, & fugientem siste triumphum;
Crede, tibi in laudis parte triumphus erit.

A. utroq; ediasit p.

Anno 1654.

THOMAS BARTHOLINUS.
Anat. & Med. Profefs. Reg.



Ad Cl. VIRUM
DN. GEORGIUM SEGERUM,
Insuetum triumphum
CORDIS
edentem.

TRanseat ingenti sonitu nunc buccina rauca
Limina Doctorum; Gaudia fronte gerat,
Nescia concursus hostilis charta triumphat,
Præclangat: Martis nescia sanguinei.
Non fregit densas insignis acinace turmas;
Corpora non stravit; sustulit haud animans.
Fure triumphus adest tamen. Hæc sublimis in ostro
Fulget, & antiquo cædis apollineæ.
Scilicet Hippocratis commissa fideliter artis
Quicquid & Antiqui, vindicat ipsa, cluent.
Ter felix studium! quod pace trophæa meretur:
Ponere consuescit dignaq; ferta comis.
Bella choro Phæbi cedant, & classica libris;
Tutius hîc lauros quisquis habere potest.

Anno 1654.

Sic amico candido applaudis

MARTIN BOGDAN.

AD AMICUM SEGERUM.

CORDI quæ meruit paras TRIUMPHUM,
Et ritus revocas sagax vetustos.
Res haud AUGURIO caret secundo:
DICTATOR *medicâ cluas in arte.*

Anno 1654.


Hoc bonæ mentis omen addebat

SAMUEL EGGERBERTUS.

In
QUERIMONIA CORDIS
emendanda.

Non meâ sane culpâ, Lector Benevole, neque etiam tam incuriâ Amici illius, cui officium corrigendi obtuleram, quam nescio quâ insuetâ Typographi, in exhibendis Correcturis, ut vocant, parsimoniâ, tot irrepserunt Menda. Quarum sequentes pro lubitu ita corrigere poteris: Pag. 6. lin. 29. lege, æstimandi. p. 7. l. 11. Anglicana. l. 18. ad actiones in idonea. p. 8. l. 8. paraxysmo. l. 16. Harpprecht. l. 17. Brandmyllerus. l. 24. Quicquid. p. 9. l. 12. imprudentes imprudenter nimis. p. 17. l. 3. dependeant. l. 4. solo hepate. p. 20. l. 13. Hippocrate. l. 28. μεταβολαι. p. 22. l. 15. pituitosorum. l. 24. talem. p. 23. l. 17. Principium. p. 24. l. 20. chylum ex intestinis exsugunt. l. 23. exceptum in ax. p. 26. l. 6. musculis. p. 28. l. 23. quasque. p. 31. l. ult. κινείται ὡς περ. p. 34. l. 15. maternum. p. 36. l. 22. eas. p. 37. l. 25. pro opinione; lege, errore. l. 26. attribuebat. p. 39. l. 20. mei primigenii, motusque mei conserv.

Reliqua Tuus favor emendabit, ut & ea, que in TRIUMPHO CORDIS corrigenda videntur; quorum potiora sequentia: Pag. 3. lin. 22. dele, dominiumque. p. 13. l. 29. διαπλάσεως p. 15. l. 31. ἔν δ' ἐν. p. 16. l. penult. ἀρχή. αὐτή δ' p. 17. l. 30. τὸ ζῆν. p. 19. l. pen. τῷ ἀνθρ. p. 20. l. 20. utrum autem dictæ. l. 25. in marg. è dextro. p. 22. l. 28. οἰκησιν. p. 23. l. 25. τῆς. l. 27. πῶς ζώοις. p. 25. l. 19. vasa, mezer. p. 34. l. 5. amplectamur. l. 22. ab-irem. p. 41. l. 30. probè cognitum persp. p. 43. l. 20. honorum, pro bonorum. l. 23. in marg. binis, ex vasis. p. 44. l. 12. in Recept.





GEORGI SEGERI

TRIUMPHUS CORDIS.



POSTQUAM summus ille,
 non minus in ordinando sapiens,
 quam in creando potens, Mundi
 Architectus, spatio brevissimo
 vastam hanc molem (quam ab
 æterno in Archetypo suo descri-
 ptam fuisse sapientum plurimi
 duxerunt) cum omnibus suis par-
 tibus ex nihilo, mirandum dictu! produxisset, omniaq;
 in præclarissimum ordinem conguessisset, placuit eidem
 rerum Parenti æterno, omnium illorum, quæ ante diffu-
 sè coeperat, breve quasi compendium constituere, ut
 majores gloriæ suæ divitias demonstraret. Produxit igitur
 divina Sapiencia Mundanæ fabricæ Compendium
 verissimum. Produxit divina Bonitas creaturam illam
 omnium creaturarum nobilissimam, Hominem, & ut in
 ejus naturam dives universa natura suppelles, omniaq; supe-
 riorum & inferiorum munera, tanquam in alteram Pandoram
 confluerent, præcepit. Eja igitur, Mundum qui contem-
 plari voluerit, seipsum contempletur; qui vastam hanc
 molem rimari voluerit, seipsum rimetur. Quod si enim
 τὸ πῶτα σεαυτὸν probè exercuerit, reperiet, nihil in mun-
 do majori esse, cujus proprietates non etiam in homine mundi fi-

I.

Anon. Phyl.
restit. can.
37. p. 25.

Kircher. Mus-
urg. Univ. L.
10. registro 4.
p. 401.

A

lio,



lio, tanquam in omnium rerum mensura & cōpendio elucescat.

II.

Prolixum nimis foret, & ab instituto nostro alienum, singula hæc per membra singula diducere, factum id ab alijs, & imprimis à Cl. Fr. Tidiceo, in Eruditissimo, quem scripsit, *Microcosmo*, quem adeat, quicumque specialiora desiderat. Unicum hic moneo, quod, quemadmodum in Megacosmo lege creationis cautum est, ut à Sole sublunaria omnia regantur, recta reficiantur, refecta vivificentur, vivificata foveantur: Ita etiam simili modo eadem lege in Microcosmo cautum sit, ut à Sole ejus in eodidem omnia regantur, reficiantur, vivificentur, foveantur. Dixi, à Sole ejus. Cor enim Solem repræsentare nemo non videt. Hinc, quemadmodum Sol nobilissima est magni Mundi pars, imò jure inter eas princeps salutatur, cum in eo fundetur ejusmodi facultas, qua universum Corpus mundi gubernatur: Ita & Cor nobilissimam esse parvi mundi partem, imò jure inter eas principem salutari, cum in eo talis reperiatur facultas, qua totum hominis corpus regitur, nemo, ut opinor, negare potest.

III.

Verum quemadmodum in Megacosmo fieri solet, ut semper in summo honorum fastigio constitutus habeat tales, qui licet ab eo omnia bona, nonnunquam & vitam, benignè obtineant, ei tamen hos honores, si non aperte, ast clanculum, & quidem per alios, eripere, sibi que attribuere omnibus nituntur viribus: Ita idem etiam in Microcosmo accidit; postquam enim Cordi sapiens rerum natura tantas dotes largita esset, propter quas meritò pars princeps salutaretur, mox reliqua viscera, imprimis verò Cerebrum, & Hepar, illi hanc dignitatem auferre, eamque, licet sine Corde ne momentum quidem se salva persistere posse viderent, per patronos suos in se derivare contenderunt.

Et sane

Et sane haud vano successu; Semper enim quidam fuerunt, qui Principatum Cordi aut planè ademerunt, & vel Cerebro, vel Epato, vel etiam Testibus adjudicarunt: aut cum dictis partibus communem voluerunt. Omnes tamen iniquo, ut patebit, jure.

IV.

Qui pro solo Cerebro pugnant, hoc imprimis medio dignitatem ejus astruunt; *Cerebrum*, inquiunt, *Diviniores nobilioresq; quam cor edit actiones, & tribuendo inferioribus Spiritum Animalem pro sensu & motu, regit omnia.* Verum nihil inde concludunt. Edat enim Cerebrum diviniores nobilioresque actiones, regat item inferiora; non tamen exinde sequitur, esse illud nobilius Corde. Sicut enim Belli Dux, aut alius quidam in officio constitutus, indulgente Principe, & omnia quæ requiruntur benignè ac ubertim suppeditante, nonnunquam præstantiora principe edit, omnesque regit, quem tamen nemo sanus principe nobiliorem & præstantiorem facilè concedet: Ita etiam Cerebrum, præstet licet nobiliora, gubernet licet inferiora, quia tamen id eatenus tantum facit, quatenus à corde spiritum caloremq; accipit, imò quia à corde ipsum etiam alimentum emendicat, quis non videt, ejus principatum dominiumque non esse independentem & summum, sed dependentem ac subordinatum?

V.

Conantur quidem Patroni Cerebri vel exinde quia cor cerebro spiritum, calorem ac alimentum suppeditat, dignitatem ejus adstruere; verum simili sanè ratione qua servus, imò & mendicus, qui nisi ab aliis sustentaretur periret, se inde præstantiorem esse judicare vellet.

VI.

Non addam quæ de situ ridiculè nimis proferunt, dum Cerebrum præstantius Corde dicunt, quia editissimum locum occupavit; quasi verò & vigil, in editissimâ turri habitans, imò & in ipso fastigio hærens, exinde

VII.

A 2 nobi-

nobilior principe suo censendus sit? Dicerem potius si à situ pro dignitate Cordis quid petere liceret, Cor vel ideò etiam esse principem partem, quia non summum sed medium occupat locum, ut in morem principum undique servis stipatum tutum ac inviolatum hæreat. Quod olim jam animadvertens Sapientissimus *Democritus*, ita inter alia ad *Hippocratem de Natura Humana* scripsit: (*) *Cor regium locum obtinens, coniformam habens, adversus omnes insultus thoracem induit.*

VIII.

Qui pro solo Hepate pugnant, quia ex sanguificatione ejus Principatum potissimum derivare conantur, cum falsa, ut paulò post patebit, assertionis suæ fundamenta proferant, facilius confutantur: fremente licet *Columbo*, sanamque mentem ambigentibus denegante.

de Re Anat.
L. 6. p. 298.

IX.

Simili ratione, & illi rejiciendi, qui Testium principatum exinde defendunt, quia magnà immutandi corpus vi pollent. Licet enim, non diffitendum sit, (verbis *Cl. Kyperii* utor) *magnam esse testium vim in universum corpus: Cum testibus ablati advertamus temperiem universi corporis mutari, barbam excidere, mores turbari, & studia variari. At tamen ideò non absolute principes partes testes censeri debent, sed subordinata cordi, quoniam à Corde testes vegerantur & roborantur, influxu spiritus vitalis.*

Univ. Medic.
Contr. L. I. c.
9. Paragr. 66.
p. 136.

X.

Unde patet, malè illos Cor suum accepisse, qui soli vel Cerebro, vel Hepati, vel Testiculis Principatum detulerunt. Quod cum vidissent alij, ne tamen, instinctu reliquorum viscerum, soli cordi omnia accepta referrent, Cor, Cerebrum & Hepar in pari honorum fastigio collocarunt, quibus alij etiam Testiculos addiderunt; Verum quàm benè, ex dictis cognosci potest.

Manet

(*) *κωνοειδής ἢ καρδία βασιλεὺς, πρὸς πᾶσαν ἰσχυρὰν ἐνδεδυμένη θώρακα.*

Manet nimirum Cor solum pars humani Corporis princeps, quia reliquis, non dico alimentum, sed & vitam ipsam, suppeditat. Adstipulatur nobis Admirabilis Pergamenus, qui ne ullam quidem in Corde particulam reperiri scribit, (*) imò ne ipsam orā cordis inferiorem, quæ non omnium, quæ verbi gratia in cruribus sunt aut manibus, sit præstantissima. Sic quoque Clariss. Arabs Mesue, in Canonibus suis Universalibus Cor expressè vitæ Basin vocat, atque ita in omni evacuatione Cor imprimis roborandum mandat. Cum in salute ejus ipsius quoque hominis salus omninò, & unice quidem, sit posita.

XI.

(*) de usu
Part. L. 6 c. 7
cl. 1. f. 150. B.

Intent. five
Theor. 2. c. 2
pitulo. 1.
Can. 2.

Quare, quamvis læso Cerebro, Pulmone, Diaphragmate, ventriculo, aliisque partibus, ægri non tantum ad aliquot dies supervixerint, sed interdum omninò restituti fuerint, ut Observationes Medicorum testantur: In corde tamen non speratur salus, quum in eo accidit vulnus; nec unquam compertum est corde vulnerato quenquam evasisse.

XII.

Avic. Canon.
L. 4. Fen. 4.
tr. 1. c. 2. p. 139.
b. lin. 55.

Notanter dico, evasisse. Scio enim quosdam, eos tamen perpaucos, dextro imprimis Cordis ventriculo fauciato, vitam ad aliquot dies protraxisse. Sic Juvenem quendam, dextro Cordis ventriculo angusto ac obliquo foramine læso, per quinque dies supervixisse, non ita pridem prodidit Cl. Bartholinus, qui addit, quod, quantum conjecturâ assequatur, propter angustum obliquūq; Cordis vulnus, concidentibus labiis, circulatio per tot dies perstiterit non interrupta. Sic quoq; mirum profectò est, quod in Bibliotheca Academiae Gröningensis tabulæ pensili verbis Nicolai Mulleri inscriptum, de milite, qui acceptâ in dextro

XIII.

Hist. Anat.
Rar. Cent.
1. Hist. 77.
p. 127.

A 3 ventri-

(*) ἔνδ' αὐτῶν ἄλλο ποῖστον ἔδεν ἐν καρδίᾳ μόρον,
ἔνδ' αὐτῶν κατὰ πέρασιν, ὡς μὴ πάντων εἰ τύχοι τῶν ἐν τοῖς σκέλεσιν, ἢ ταῖς χερσὶ κυριώτατον ὑπάρχειν.

L. 5. Pract.
part. 4. c. 3.
pag. 36.
L. 2. Obs. 18.
pag. 132.

XIV.

(a) de loc. aff.
L. 5. c. 2. cl. 4.
f. 29. d.

(b) Com. 2. in
1. prorrh.
Hipp. t. 37. cl.
4. f. 174. b.
(c) de Subfig.
Emp. c. 6. ff.
f. 32. d.

ventriculo plagâ vitam ultra quindecim dies sustentavit, refert Sennertus. Imò miraculo id potius quam vero (ut Tubpius inquit) propius videretur, nisi viri integerrimi Mulleri auctoritatem confirmaret testimonium publicum.

Verum, quicquid sit, licet historiæ testentur quosdam accepto Cordis vulnere per aliquot dies vixisse, neminem tamen evasisse testantur. Nam, si ad ventrem Cordis, verba sunt Incomparabilis Galeni (a) vulnus aliquando penetraverit, protinus magno cum sanguinis fluore hominem mori necesse est, idq, præcipue, si sinistra partis venter fuerit vulneratus: si verò non ad ventrem usque pertingat, sed in cordis substantia consistat vulnus, ex ita affectis aliqui, non solum eâ die, qua vulnerati fuerunt, sed sequenti nocte vivere potuerunt; qui tamen dein omnes inflammationis ratione extincti sunt.

Hinc alibi (b) corde vulneratis promittendam curationem non esse, cum moriantur, expressè docet. Imò alio in loco (c) vulnerato Corde semper mortem sequi monet. Et rectissime quidem. Quia enim in corde Anima cum Calido Innato per prius residet & dominatur; Quia in Corde Spiritus vitalis pro Nativi Calidi restauratione elaboratur; Quia in Corde Chylus in sanguinem pro totius corporis nutrimento mutatur; Quia denique in corde sanguis ab exterioribus partibus refluens rursus vigoratur; Quis quæso non videt, laeso tanto tamque necessario viscere,

(a) Ἐὰν μὲν ἐν ἀρι κοιλίας ἴνδός τῶν ἐν αὐτῇ, τὸ τραῦμα ἀφήκῃται, παραχρῆμα τελευτῶσιν αἰμορραγικῶς, καὶ μᾶλλον ὅταν ἡ ἀριστερὰ κοιλία τύχῃ τραυθεῖσα· μὴ διασχόντι ὅτι τῷ τραύματι εἰς κοιλίαν, ἀλλ' ἐν τῷ σώματι τῆς καρδίας σπριχθῆντι, ἔ μόνον αὐτὴν ἐκείνην τὴν ἡμέραν, ἐν ἣ τραυθέντες ἐτυχον, ἐνίοι διέζησαν, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἰππύσαν νύκτα, φλεγμονῆς δηλονότι λόγῳ ἔθανάτα γηομένε.

(b) Τῶς τετραμένεσ καρδίαν ἐλθρή θεραπεύειν, τεθνήξοντα γάρ.

scere, impossibile esse, ut diu salvus ac incolumis maneat homo? Imò jure etiam Cor princeps viscus salutari?

Verum enim vero, quamvis hæc omnia quæ enarrata sunt Cor reliquis partibus præstare clarum fecerint, non defuerunt tamen, qui ut proprio Cordi hanc dignitatem justam adimerent, præter confectionem spiritus vitalis, vel omnes reliquos effectus vel plerosque impugnâre. Hinc alii Animam cum Calido Innato per prius in Corde residere negarunt; alij sanguinem per circulationem redeuntém ne in Corde restaurari concedere cogentur, sanguinem nullo modo circulari asseverarunt; alij denique sanguificationem non in corde, sed potius Hepate fieri, affirmarunt.

XV.

Ortæ inde variæ Doctorum disceptationes dissensionesque, dum alij pro Corde, alij contra Cor pugnarunt, quas omnes, tam veterum, quam recentiorum enarrare, quia prolixum nimis foret, breviter tantum unam alteramque primoribus attingemus labris.

XVI.

Et quidem, quod antiquiorum Philosophorum & Medicorum de principe Animæ Sede placita concernit, illa *Plutarchus* sequentibus enarrat verbis: (d) *Inesse ani-*

XVII.

(d) de Plac. Phil. L. 4. c. 5. Operum T. 6. p. 899. a.

(d) Πλάτων, Δημόκριτος, ἐν ὅλῃ τῇ κεφαλῇ. Στρέτων, ἐν μεσοφρύω. Ερασίστρατος, πρὸς τὴν μὲν ἰγνὰ καὶ ἐγκεφάλω, ἢ ἐπιπυρρῶν λέγει. Ἡρόφιλος, ἐν τῇ ἐγκεφάλω κελύφῃ, ἢ ἐν τῇ ἐπιπυρρῶν. Παρμενίδης ἐν ὅλῃ τῇ θώρακι, καὶ ἐπιπυρρῶν. Οἱ Στωικοὶ πάντες, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, ἢ τῷ πρὸς τὴν καρδίαν πνεύματι. Διογένης ἐν τῇ ἀρτηριακῇ κελύφῃ τῆς καρδίας, ἢ ἐν τῇ πνεύματι. Εμπεδοκλῆς, ἐν τῇ ἐγκεφάλω συστάσει ἢ ἐν τῷ τραχήλῳ τῆς καρδίας. οἱ ἄλλοι ἐν τῷ πρὸς τὴν καρδίαν ὑμένι. οἱ ἄλλοι, ἐν τῷ διαφράγματι τῶν νεφελῶν δένδρον, διὸ καὶ κεφαλῆς μετὰ τῆς διαφράγματι. Πυθαγόρας, τὸ μὲν ζωικὸν πρὸς τὴν καρδίαν, τὸ ἄλογικόν καὶ νοερὸν πρὸς τὴν κεφαλὴν.

nam ajunt Plato & Democritus in toto capite. Strato in superciliorum intercapedine. Erasistratus circa membranam cerebri, quam epicranida nominat. Herophilus in cavo seu fundo cerebri. Parmenides in toto pectore, & Epicurus. Stoici in universo corde, aut cordis spiritu. Diogenes in arteriosa cordis cavea, quæ est spiritualis. Empedocles in sanguinis substantia. Alij in collo cordis. Alij in membrana cor ambiante. Alij in septo transverso. Nonnulli recentiorum eò usque à capite pertingere. Pythagoras, vitalem animæ partem circa cor, rationem & mentem circa caput. Hæc Plutarchus, quibus omnibus pro more suo adstipulatur Autor Libri de Hist.

(e) spur. f. 9.
H.

Philosoph apud Galenum (e), quamvis caput illud in Græca Basiliensium editione non reperiatur.

XIIX.

Verùm, si pensiculatius citata examinemus verba, apparebit, omnes enarratas sententias ad duo summa referri posse capita. Ita ut alij fuerint, qui caput aut ejus partes, alij, qui pectus, & in eo imprimis Cor, principem Animæ partem constituerint. Quibus deinde alij accesserunt, qui pro diversitate animæ facultatum, diversas quoque elegerunt sedes; alij etiam, qui pro unica parte totum corpus substituerunt. Qui omnes sententiam suam rationibus firmis firmare allaborarunt.

XIX.

Ut autem à posterioribus incipiamus, palam est quod illi, qui Animæ Thronum universum corpus æqualiter esse voluerunt, id imprimis urgeant, quod *aliàs totum non foret animatum, sed illa tantum pars, in qua esset ipsa animæ substantia.* Ast salva res est. Concedimus illis animam hæere in toto corpore: Imò damus illis & hoc, Animam æqualiter per totum corpus diffusam esse: modo nobis etiam largiantur, Animam in corde quasi in radice hæere, atque hinc ad reliqua membra diffundi. Ita ut ob liberalem istam communicationem, non tan-

tum

tum Cor, sed & totum corpus, omnino sit & rectè dicatur animatum.

Qui pro animæ partium seu facultatum diversitate, diversas Animæ assignant Sedes, & facultati λογιστικῆν seu ratiocinanti Cerebrum, θυμοειδῆ seu irascibili Cor, & ἡπαθυμικῆν seu concupiscenti Hepar attribuunt, Galenum allegant propitium, maximamque Medicorum cohortem. Nos jam eosdem tanti Herois patrocini non privabimus, quamvis pronunciare possemus, Galenum, aut inclinasse in partes eorum, qui pro Cerebro solo pugnant, aut diversis in locis diversa docuisse. Quorsum enim hæc? (f) *Ea quæ de principe Animæ vi scripta sunt ab ijs, qui eam in corde consistere existimant, omnes dissectores jam damnarunt.* Et ista? (g) *Sanè, quum ea, quæ per dissectiones apparere solent, accuratè considerarem, rationi consonum videbatur, animam in cerebri corpore sedem obtinere, &c* Imò, cur alibi (h) illos redarguit, qui cum Athenæo principem animæ partem in corde statuunt. Sed, quicquid sit, dicere sanè ausim, quod omnes illæ rationes, quæ pro triplici Animæ loco militant, facilè resolvantur, si illa, quæ totius Corporis Patronis paragr. preced. respondimus, attendantur: Animam scil. esse quidem in omnibus partibus, sed participativè tantum, non verò radicaliter, ut in Corde.

XX.

(f) de Loc. Aff. L. I. c. I. cl. 4. f. 3. G.

(g) de Loc. Aff. L. 3. c. 7. f. 17. G.

(h) Meth. Med. L. 13. c. 21. cl. 7. f. 85. D. F.

Qui Animæ primariam sedem in solo cerebro collocari

XXI.

(f) κατέγνωσα γὰρ ἤδη πρὸς ἀπάντων τῶν ἀνατομικῶν, ἃ πᾶσι περὶ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικῆς γεγραμμένα τοῖς ἐν τῇ καρδίᾳ νομίζουσιν ὑπάρχειν αὐτό.

(g) τοῖς ᾧ ἐκ τῆς ἀνατομῆς φαινομένοις ἀπολεθῶσιν ἡμῖν, ἄλογον ἐφαίνετο, τὴν μὲν ψυχὴν αὐτὴν ἐν τῷ σώματι τῆ ἐγκεφάλου κατακεῖσθαι.

(h) ὅσοι κατὰ τὴν καρδίαν ἡγῶνται τὸ ψυχῆς ἡγεμονικὸν μέρος.

locari debere contendunt, hoc præsertim objiciunt; quod cerebrum sit proximum actionis principium, quodq; læso cerebro confestim animæ sentientis actiones lædantur. Verum hi velim considerent, quod, licet cerebrum proximum sit actionis principium, non tamen sit primum & primarium; & quod, licet læso cerebro confestim animæ sentientis actiones lædantur, non tamen id fiat, quia anima in Cerebro per prius residet, (aliàs enim animæ primaria sedes & in pede locanda esset, cum pede læso gressus minimè fieri possit) sed quia Cerebrum proximum harum actionum est instrumentum.

XXII.

(i) De Sede Animæ num. 6. p. 177. a.
(k) L. c. n. 18. p. 178. a.

(l) de Morb. Sede in Anima Sens. n. 2. p. 344. b.

(m) de Sede An. passim.
(n) de Jure Duumvir. n. p. 58. 191. b.
(o) L. r. c. 9. p. 51.

XXIII.

De *Helmontij* paradoxo autem quid dicemus? qui primariam animæ sedem in ventriculi orificio sinistro seu stomacho collocat. *In stomacho*, inquit, (i) præsertim ejus orificio, tanquam centrali puncto, atque radice, stabilitur evidentissimè principium vitæ. Et paulò post: (k) *Anima sensitivæ radicalis torus, est in Archo vitali stomachi, statque manetque ibidem tota vita. Non quidem quod sensitiva hospitetur in stomacho tanquam sacco, pelle, membrana, olla, carcere, cellula, vel cortice: nec est in ista sede comprehensa pro more clausorum corporum, intra crumenam, sed exorbitanti modo, inest in puncto centraliter, ac velut in atomo, unius membrane spissitudinis meditullio.* Et alibi: (l) *Anima hospitata in tenuitate membrane stomachi, quasi ibidem non esset, imò vix alligata loco, spirat vitæ suæ spiraculum in organa, cor scil. lienem, jecur, cerebrum, renes, testes, &c.* Quam suam doctrinam hinc inde repetit, stomachumque idcirco diversis extollit elogiis, eum *Animæ torum, radicem, cubiculum, (m) lectam, (n) &c.* vocando. Sed quia vanam hanc opinionem *Cl. Bartholinus in Anatomia sua Reformata* (*) solide discussit, curiosum Lectorem eò remittimus.

Remanent ergo illi, qui animæ primarium thronum & ra-

& radicalem sedē solum Cor statuunt. Nec absq; funda-
 mento. Quia n. à Corde omnis actio dependet & guber-
 natur; quia in Corde totius Animæ commune & ma-
 ximè familiare instrumentum generatur; quia denique
 à Cordis unitate vel multitudine unitas vel multitudo
 Animalis judicatur; utique in Corde etiam præcipua est
 Animæ Sedes.

Et ab hac sententia non videtur alienus fuisse summus **XXIV**
Hippocrates, dum inquit: (o) *Mens humana in sinistro Cor-*
dis ventriculo à Natura insita est, & reliqua anime imperat. (o) Lib. de
 Corde p. 269
 lin. ult.

Ubi, quod per τὸ γνώμη animam intellexerit divinus *Cous*,
 non tantum ex verbis ἄλλης ψυχῆς colligere licet, sed &
 inde liquet, quia etiam vetustissimam illam, de mentis &
 sapientiæ in Corde sede, sententiam infert, quam tamen
 alibi (p) strenuè impugnavit, inquit: *Quidam nos Corde* (p) Lib. de
sapere dicunt, quodque ipsum tristitiam & curam sentit. Ve-
rum, non ita se res habet. Morbo Sar-
 cio p. 310 l. 4.

Quemadmodum verò Animam ita & Calidum In- **XXV.**
 natum per prius in Corde residere, atque ab eo primariò
 in reliquum Corpus propagari, plurimi negarunt. Qui ta-
 men & ipsi in diversas abiverunt partes. Alij enim Cali-
 dum Innatum æqualiter in omnibus partibus hæere vo-
 luerunt; alij illud ab Hepate, alij à Cerebro primariò flue-
 re docuerunt; imò non defuerunt, qui ut majori injuriâ
 Cor suum afficerent, Calidum Innatum à Testibus in re-
 liquas partes propagari contenderunt. Quorū omnium
 media accuratè examinavit Cl. *Conringius*, in tractatu de **Cap. 19. 20.**
Calido Innato sive Igne Animali, quem adeat qui hæc desi-
 derat.

B 2 Unum

(o) γνώμη γὰρ ἡ τῆς αἰθρώπια πέφυκεν ἐν τῇ λαίῃ κοιλίῃ, καὶ
 ἄρχει τῆς ἄλλης ψυχῆς.

(p) λέγουσι ὅτι τινες, ὡς φρονέομεν τῇ καρδίῃ, καὶ τὸ αἰώμε-
 νον τῆς τῆς ἐστὶ καὶ τὸ φροντίζον. τὸ ὅτι ἔχει ἔτι ἔχει.



XXVI.

Unum hic addimus. Non in omnibus corporis partibus Calidum nativum æqualiter hære, neque etiam seorsim vel ab Hepate, vel à Cerebro, vel denique à Testibus, sed potius à Corde per prius fluere, atque ita in Corde primariò residere, vel hoc est indicio, quod Cordis calore extincto, confestim etiam reliquarum partium calor extinguatur. Nimirum quemadmodum abscedente Calore solari omnia, etiam calidissima, frigere incipiunt, horrent omnia, imò, nisi à calore solari refocillentur, pereunt planè: Sic calore cordis imminuto, confestim imminuitur & reliquarum partium calor, torpent actiones earum antea vegetæ, imò nisi à Calore cordis excitentur & foveantur, diu persistere non possunt. Est

(g) de Usu
Part. L. 6. c. 7.
c. 1. f. 150. B.
(*) Supple-
mentorum
in Lib. Me-
sues de Ap-
propriatis
t. 1. p. 12. b.

enim Cor, ut ipse Galenus (g) testatur, caloris nativi, quo animal regitur, quasi Fons quidam ac Focus. Imò, ut verbis utar Francisci de Pede Montium, () Cor fundamentum est anima, omniumque virtutum sive facultatum primæ radix, quarum aggregatione natura consistit. Et, ut paulò post idem Pedemontanus testatur, ipsum Cor, basis est vitæ sive vitalis virtutis, per quam membra recipiunt Animam primum, & deinde virtutes reliquas, sensus, motus, & operationis vitæ, nec mors accidit, nisi propter intemperamentum complexionis suæ.*

XXVII.

Hinc etiam prudens vis formatrix, sine corde ejusque calore reliquas partes vivere non posse probè perspectū habens, mox postquam ad obvalladam seminis nobiliorrem partem secundinas formavit, omniumque partium prima stamina fabricavit, primò omnium Cor perficit; ei que primò vitam largitur.

XXIIX.

Audiamus egregiè nobis consentientem Admira-
bilem

(g) ἡ καρδία τῆς ἐμφύτου θερμασίας, ἢ διοικῆται τὸ ζῶον,
οἷον εἶα τίς ἐστὶ ἢ πηγὴ

bilem Hippocratem: (r) *Membra, inquit, omnia simul discernuntur & augentur, neque alterum altero prius, neque posterius. Quae tamen Naturae maiora sunt, minoribus quidem priora conspiciuntur, cum tamen ratione formationis nihilo priora existant. Neque verò aequali temporis spatio omnia certo ordine describuntur, (melius, exornantur seu perficiuntur,) verum alia citius, alia tardius, prout quaeque ignem & alimentum à primo fonte, Corde scilicet sortita fuerint.* Et hanc sententiam Hippocraticam confirmat etiam Aristoteles, (s) qui *Cor omnium partium primum consistere* monet: quique ideò alibi (t) *Cor principium & similarium & dissimilarium partium* vocat. Eam verò à Galeno immutatam miramur. *Prius, inquit, (u) cum de semine Commentaria conscriberem,*

(r) de Vict. rat. L. 1. p. 347 132.

(s) de Part. Anim. L. 3. c. 4. p. 1152. C. (t) de Gen. An. L. 2. c. 4. p. 1257. D.

(u) de Foim. Foet. c. 3. cl. 1. f. 323. A. B.

B 3

cogerer-

(r) Διακρίνεται ἢ τὰ μέλεα ἅμα πάντα, ἢ αὐξεται. ἢ ἔτε πρῶτον ἔδεν ἕτερον ἕτερον, ἔθ' ὑσέρον τὰ ἢ κρείζω, φύσει πρῶτον φαίνεται τῶν ἐλασσόνων, ἔδεν πρῶτα γινόμενα. ὅτι ἐν ἴσῳ ἢ χρόνῳ πάντα Διακροσμέεται, ἀλλὰ τὰ μὲν ἴσῳ, τὰ ἢ βραδύτερον, ὅπως ἦν ἢ τῆ πυρὸς ἐκάστη τύχη ἢ τῆς τροφῆς.

(s) ἡ καρδία ἐστὶ πρῶτη γινόμενη τῶν μορίων ἀπάντων.

(t) ἀρχὴ γὰρ ἡ καρδία ἢ τῶν ὁμοιομερῶν ἢ τῶν ἀνομοιομερῶν.

(u) Καταρχὰς μὲν ἐν ἡνίκα τὰ πρῶτα σπέρματ' ὑπομνηματὰ γράφω, ἢ ἀναγκάσθην, καὶ πρὸ τῆς καὶ τὸν χρόνον τάξεως ἐκάστη τῶν μορίων τῆς Διαπλάσεως εἰπεῖν ἢ, τὴν καρδίαν εἶπεν ὁμοίως τῷ ἥπατι καὶ πρὸς πρῶτας ἡμέρας τῆς κυήσεως, ὅσον κρηπίδα τῆς γνέσεως ἴσχειν, ὅτι τῆς ἴσῳ τῶν τελείων χρείας, καὶ τῆς ἀξιολογώτερας ἴσῳ, ἴσῳ τὸν λογισμὸν τῆτον ἀγόμενον, ὥστε ἢ τοῖς ἄλλοις ἀπαισιν ἰατροῖς τε ἢ φιλοσόφοις εὖρον ἀρεσκον, ὁμοίως τοῖς φυτοῖς, ἀρχὴ τῆς σαφῆς Διακλάσεως, διοικήμενον τὸ κύημα, πιθανώτερον ἔδοξέ μοι, μηδεμίαν αὐτῆς εἶναι χρείαν ἐν ἀρχῇ τῆς γνέσεως, ἀλλὰ τῆ μὲν ἥπατ' ὑσέρον αὐτὴν Διαπλάσεως πάντως.

cogererq; de ordine formationis singulorum membrorum aliquid dicere, cor, dixi, perinde ac jecur, primis foetura diebus, quasi fundamentum quoddam esse, ex usu ipsius in adultis ac perfectis maximè necessario, ad hoc asserendum inductus. Sed cum postea aliorum omnium, & medicorum & philosophorum, sententiam esse cognorim, foetum usque ad expressam formationem plantæ modo dispensari, probabilius mihi visum est, si nullam in principio cordis esse necessitatem, sed ipsum post jecur formari, prorsus statueremus. Tantum valuit aliorum medicorum autoritas etiam apud ipsum medicorum Principem. Verum condonandus est summo Viro hic lapsus. Quia enim ex diversis dissectionibus nihil manifesti, ut ipse paulò ante fatetur, colligere potuit, potiorum sententias sequi in aluit.

XXIX. Nos diligentiam subsequentiū Anatomicorum aliud edocti, punctum illud saliens in ovo, quarto post incubationem die manifestè emicans, Corculum esse, operi suo jam intentum, asserere non dubitamus. Imò & hoc addimus, quod humor ille rubeus & rotundus, (x) quem in abortu, sexto post conceptionem die à Fidicina quadam rejecto, observavit Hippocrates; quemque jecur fuisse, credit Galenus, (*) non tantum jecur, sed totum corpus fuerit. Si aliàs vera sunt, quæ ex inspectione Ovi, sexto post incubationem die rupti, diligentissimi Naturæ Mystæ, & inter hos imprimis Illustr. Harveus, annotarunt.

(x) de Nat.
Pueri p. 236.
l. 42.

(*) L. cit.

XXX. Sed & ad conservationem calidi nativi, vitæque reliquarum partium custodiam, solum cor primariò à Natura formatum esse, inde quoque elucescit; quod, licet alijs visceribus nonnunquam animalia quædam orbata hætenus reperta fuerint, corde tamen quoddam animal caruisse, nondum adhuc observatum sit. Quod olim
jam

(x) τὸ ὑγρὸν ἐρυθρὸν καὶ στρογγύλον.

jam in animalibus majoribus & sanguineis annotavit *Aristoteles*, inquit, (y) *Corde carens nullum unquam animal ortum est: quanquam liene carens, & altero vacans rene, visum est. Fecore etiam carens toto nullum notatum est, quanquam quod non totum haberet, jam patuit. Felle item privata prodierunt. Sic Helvetium quendam, cui in conflictu portiuncula infimi lobi Hepatis abscissa, & dein à Chirurgo extracta fuit, vulnere Hepatis cicatrice eleganter obducto, ægroque restituto, per integrum triennium salvum vixisse, *Hildanus* (z) testatur. Sic etiam in Civis cujusdam Hamburgensis, *Gabrielis Engels*, cadavere, Anno 1656. die 15. Decemb. Hamburgi referato, nullam se vesiculam fellic, imò ne vestigium quidem ullum hepatis impressum, reperisse, mihi narravit diligentissimus *Bunccius*, ὁ οὖν ἐν ἀγίοις. Nec dubitandum de fide Historiæ, cum raræ huic Sectioni etiam interfuerint Medici Excellentissimi, *Andr. Cassius*, & *Jo. Albertus Husvedelius*, Fautores & Amici Magni, qui unà cum Beato *Bunccio* Hepar è corpore exemptum pressius examinarunt. Sic quoque Illustrissimi Comitis J.E. ab I. & B. infantem, pronuper demort. vesiculâ bilis destituit. fuisse, memorat Magnus noster Amicus, Excell. *Jo. Dan. Horstius*, (a) veritatisque testem *D. Geilfusium* advocat. Sed &, nisi me memoria fallit, defectum vesiculæ biliaræ, in muliere quadam Bononiensi, itidem annotavit *Corresius*.*

(y) de Gen. An. L. 4. c. 4. p. 1315. E. F.

(z) Cent. 2. obs. 34.

(a) Man. ad Med. Part. 1. c. 1. f. 3. th. 6. p. 104.

Ita quoque Cerebri absentiam nuper adhuc observarunt Cl. Viri, *Th. Bartholinus*, (b) *Petrus Borellus*, (c) & *Joh. Jac. Vvepferus*, (d) (quem hisce amicè, etiam jussu Magni *Bartholini*, rogamus, ut promissis suis stet, & rarissimas

XXXI.

(b) Hist. Anat. Rar. Cent. 1. hist. 33.

(c) Hist. & Obs. Rar. Cent. 3. obs. 3.

(d) in præfat. Exerc. del oco aff. in A. popl.

(y) καρδίαν μὲν ἐν ἄρην πῶποτε ἐγένετο ζῶον μὴ ἔχον, ἀπλήνα ἢ ἔκ ἔχον, καὶ νεφρὸν ἕνα. ἢ πᾶρ ἢ ἔκ ἔχον μὲν ἔδεν, ἔκ ἄλλον ἢ ἔχον. Ἄρισκεται καὶ χολήν ἔκ ἔχοντα.

suas, de puellâ sine cerebro natâ; de molis aqueis; de puellis octo annorum, è quorum intestinis & umbilico, à lumbricis perforatis, chylus exstillavit; de aneurisma- te curato, & quam nuperrime demum annotavit, de te- sticulo monstroso ejusq; hydrope & trichiasis; aliasq; quâ- plurimas Historias, orbi literato cõmunicet, nec quæ bo- no publico semel destinavit ei diutius invideat.) Sic et- iam Anno 1646. Mense Martio, defectus cerebri, cerebel- liq; ac meningum, in dissectione partus cujusdam mon- strosi notatus, Cl. Dn. *Maur. Hofmannum*, Anatomicum Altdorfinum, ejusque Spectatores, in admirationem ra- puit, ut idem Vir Cl. in historia, de anatome hac concin- nè conscriptâ, mihi que unâ cum figuris ab Amicissimo meo *Henrico Erndlio*, jam Medico Dresdensi, nuper cõmmunicata, testatur.

XXXII.

Sed redeamus ad Cor, quod non tantum in majori- bus & sanguineis, sed & omnibus penè animalibus, sem- per reperiri, omninò nobis persuasit Diligentissimus *Har- veus*. *Observavi quoque*, inquit, (e) *in omnibus penè animali- bus Cor verè inesse, & non solum, ut Aristot. dicit, in majoribus & sanguineis, sed in minoribus, exanguibus, crustatis, & testa- ceis quibusdam, ut, limacibus, cochleis, conchis, astacis, gamma- ris, squillis, multisque alijs; imò vespis & crabronibus, muscis (ope perspicilli ad res minimas discernendas) in summitate illius particula; qua cauda dicitur, & vidi pulsans Cor, & alijs viden- dum exhibui.*

(e) Exerc. A-
nat. I. de mo-
tu Cordis,
&c. p. 45.

XXXIII

Tandem, Cor unicum calidi nativi fontem esse inde quoque manifestè patet, quia post omnium partium In- teritum ultimò demum moritur. Egregiè hæc expressit

(f) de Gen.
Anim. L. 6. c.
6. Tom. I. pag.
1260, C.

Aristoteles, inquit: (f) *Fit autem primò principium, quod*

in san-
(f) γίγνεται ἢ πρῶτον ἢ ἀρχὴ αὐτῆ. δ' ἐστὶν ἡ καρδία τοῖς
ἐναίμοις· τοῖς δ' ἄλλοις τὸ ἀνάλογον. καὶ τὸ φανερόν ἐ μόνον

in sanguineo genere Cor est: in cæteris proportionale. Idque effici primum, non modo sensu percipitur, sed etiam, quod per obitum vita hic ultimo deficit. Nec diffitetur hoc ipse quoque Galenus, dum ait: (g) In alyis libris declaratum est, innati caloris Cor velut fontem esse, neque animal mori omnino posse, nisi cor afficiatur. Quibus ipsa adstipulatur Experientia, quam si quis consulere gravetur, consulat tamen, aut Harveum, (h) aut Panarolum, (i) qui cæteris membris omnibus jam quiescentibus, auriculam tamen cordis finistram diutius adhuc moveri, ex anatomia vivorum observarunt. Quod & nobis videre contigit.

(g) de Loc. Aff. L. 5. c. 1. cl. 4. f. 28. H.

(h) L. c. p. 44. (i) Iatrol. pent. 5. obs. 26. p. 160.

Verum enimvero quamvis de Sede Animæ & Calidi Innati plurima in summam Cordis ignominiam protulerint nonnulli, omnia tamen nimis patienter patiens tulit viscus. Imo postquam præter hanc dignitatem etiam sanguificationis laudem ei ademissent, & vel ex parte reliquis etiam visceribus, vel totaliter soli Hepati insolenti attribuisent injusti mortales, ne tum quidem unquam quicquam de vindicta cogitavit. Placet hæc omnia paulò prolixius diducere, ut injuria præstantissimo visceri nostro ab ingratis mortalibus illata eò melius patefcat.

XXXIV.

Postquam Anatome (quam apud Ægyptios potius quam Græcos primum floruisse cum eruditissimis plurimisque astruo, utpote quos à posteris Patriarchæ Jacobi qualemcunq; artificiosè disseccandi corpora artem accepisse verosimile,) ex Ægypto in Græciam migravit, plurimos ibi non tantum cultores sed & excultores invenit, qui

XXXV.

Anatomiam à Regibus Ægyptiis ortam esse, ex Plin. Medici L. 4. c. 1. diducit Barthius Advers. L. 3. c. 4. p. 110.

C non

καὶ τὴν αἰδοῦσιν, ὅτι γίνεται πρῶτον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν τελευτὴν. ἀπολείπει γὰρ τὸ τὴν ἐντεῦθεν τελευταῖον.

(g) ἐν ἄλλοις ἐδείχθη, τῆς μὲν ἐμφύτης θερμασίας, οἷον πηγῆς ἡς ὑπάρχειν ἡ καρδία, καὶ πάντως χρῆναι παθεῖν αὐτὴν, εἰ μέλλοι τεθνήξασθαι τὸ ζῶον.

non solum omnia sapientissime ponderarunt, sed & cunctarum partium humani corporis usum officiumque curiosissime investigarunt.

XXXVI Ortæ hinc variæ inter Anatomicos tum temporis disensiones, dum alius huic parti hunc, alius alium, non nunquam etiam pro lubitu, & ex falsa hypothesi, attribuit usum. Et quia etiam de Nutritione diversa differuerunt, dum quilibet opinionis suæ veritatē astruere, & id quod somniavit rationibus evincere conatus est, in diversas abiverunt partes, nemine experientiam consulente, sed omnibus ingeniosis medijs asserta sua defendentibus.

XXXVII Fuit hæc diversitas primum imminentis nobilissimo Cordi ruinæ signum, quod lento gradu subsequituram totalem infamiam pro certò indicavit. Ita ut optimo sanè iure Cor inconstantiam fortunæ suæ accusare, & quam verè dixerit qui dixit,

*Lusus fortunæ variatur imagine Luna,
Crescit, decrescit, certò consistere nescit:*

XXXIX proprio exemplo affatim approbare potuerit. Scilicet hic fuit usque ad Galeni tempora nobilissimi huius visceris status, ut paucissimi ei totum sanguificationis honorem deferrent, plurimi verò cum aliis visceribus eum communem ut habeat præciperent. Plurimi inquam, nam præter Hippocratem & Platonem, eorumque discipulos vix quenquam aut Medicorum aut Philosophorum Cordi quod suum est omni ex parte tribuisse, ex scriptis eorum patet.

XXXIX Videamus veritatem nostri asserti ex ipsis fontibus, ne quenquam, ut Plauti verbo utamur, subdere, & in fraudem deducere videamur. Prodeat autem primò omnium summus Hippocrates, quem sanè soli Cordi sanguificationem attribuisse, ex scriptis ejus luculentissime patet. Quamvis

Quamvis enim diversis in locis Cor, Cerebrum, Hepar & Splenem communi dignetur titulo, & ea πηγὰς seu Fontes vocet, unde quis de consensu ejus dubitare posset, solum tamen Cor sanguinis Fontem expressè tantum nominat. Placet tanti Autoris verba fideliter adnumerare, cum ea mutare religioni ducamus. Sunt autem hæc: (a)

Sanguinis certè Fons est Cor; pituitæ caput; aqua lien; Bilis folliculus fellis in jecore. Et alibi de cordis ventriculis acutissimè differens, eos humanæ Naturæ Fontes expressè vocat, dum inquit: (b) Hi sunt humana Naturæ Fontes, hincque flumina excurrunt, quibus corporis alveus irrigatur. Atq; hæc vitam homini conferunt, & si resiccata fuerint, homo perit.

(a) Lib. 4 de Morbis pag. 498. l. 34.

(b) Lib. de Corde p. 269. l. 21.

In quibus locis quid per vocabulum πηγή intelligat, ex contextu facile colligitur; nimirum, ejusmodi viscus, in quo humor aliquis, sive is sit alimētarius, sive excrementitius, aut elaboratur, aut conservatur. Hinc summus Vir in citatis verbis Cor folius sanguinis propriè sic dicti Fontem seu Officinam; Hepar verò cum folliculo choledochobilis; Cerebrum ratione suorum ventriculorum pituitæ; Splenem aquæ sive melancholiæ fontem seu receptaculum vocat.

Hinc quoque is idem, demonstraturus, quam ratione bilis, sanguis, aqua & pituita ex alimentis copiosiora aut pauciora oriantur, ventriculū omnium humorum πηγήν sive fontem vocat, dum ait: (c) Ventriculus, ubi plenus existit, omnium in corpore FONNS est; dum vi-

(c) Lib. 4. de morb. p. 498. l. 27. & p. 501. l. 50.

C 2 delictet

(a) τῶ μὲν αἵματι ἡ καρδία πηγή ἐστὶ τῶ δὲ φλέγματι, ἡ κεφαλή. τῶ δὲ ὕδατι, ὁ σπλήν.

(b) αὐταὶ πηγαὶ φύσις ἀνθρώπων. καὶ οἱ ποταμοὶ ἐνταῦθεν ἀνατὰ τὸ σῶμα τοῖσιν ἀρδεταὶ τὸ σκῆν. ἔτσι δὲ καὶ ζωὴν φέρουσιν ὡς ἀνθρώπων, καὶ ἀνασφύωσιν, ἀπέθανεν ἄνθρωπος.

(c) Ἡ κεντρία τῶ σώματι πάντων πηγή ἐστὶ πλεὴν ἔσσει.

delicet Chylum, qui semper diversarum est partium, elaborat, & in totum corpus distribuit.

XLI. Unde meritò quis colligere posset, *Hippocratem* Fontium corporis duo agnovisse genera. Fontem nimirum unum Universalem, & quatuor Particulares. Ille est ventriculus; Hi sunt, Cor, Cerebrum, Lien & Hepar.

XLII. Ast oritur hic difficultas, si curiosus quærat, quænam mens fuerit *Hippocratis* de viis, per quas quatuor dicti Fontes particulares ex ventriculo humores sibi dicatos attrahant, cum mentem suam *Hippocrates* manifestè non explicarit. Nos, si divinationis licentia & nobis est concessa, adstruere non dubitamus, quod *Hippocrates* crediderit, id beneficio venarum ventriculo connexarum peragi. Favet nobis *Liber de Natura Hominis*, ubi postquam ortum & progressum quatuor partium venarum crassissimarum proposuit, hæc verba subjungit. (d) *Existunt*, inquit, & ex ventriculo permulta & varia vena, per quas in corpus alimentum transmittitur. Quæ eadem repetit quoque in

(d) p. 229. l. 53.

(e) p. 276. l. 14. *Lib. de ossium Natura.* (e)

XLIII. Utrum antedictæ illæ ventriculi venæ, quarum mentionem facit *Hippocrates*, Lactæ fuerint mesaraicæ, ut quidem *Cacilius Folius*, Anatomicus Venetus, lacteas Veteribus quoque cognitæ fuisse demonstraturus, suspicatur, (f) valdè dubitamus, nec ullam suspicandi ansam apud *Hippocratem* observamus. Quare potius venas illas ventriculi Hippocraticas ramos venæ cavæ & arteriæ aortæ esse credimus, quorum beneficio Chylum heterogeneum ex ventriculo ad dictos Fontes deferri statuit divinus Senex. In qua sententia nos ipsemet confirmat *Cous*, dum alibi

(f) Tract. de sang. à dextro in sinist. Cordis vent. via.

(g) ex-

(d) Εἰσὶ ἴ καὶ αἱ ἀπὸ τῆς κοιλίης φλέβης, αἷα τὸ σῶμα παμπολλαίτε καὶ παντοῖαι, καὶ δι' ὧν ἡ τροφή ἐν τῷ σώματι ἔρχεται.

(g) expresse venam cavam ventrem totum pervadere dicunt.

(g) L. b. de
Carn. p. 250.
l. 19.

Verum, antequam Hippocratem omninò dimittamus, universam ejus huc quadrantem Doctrinã proprijs verbis ita repetimus; (h) Cum quis comederit aut biberit, corpus ad se ex ventriculo commemoratam humiditatem attrahit, & fontes per venas de ventriculo trahunt, similis humiditas similem, & in corpus distribuunt. Quæ clarius ita damus: Postquam Chylus in ventriculo est elaboratus, Cor partem optimam, sanguinique generando idoneam, Hepar verò biliosam, Cerebrum pituitosam, Splenque aqueam ejus partem ex fonte generali, ventriculo scil. per vasa mesaraica attrahunt, attractam elaborant, elaboratam autem, vel pro nutritione, (quod de Corde intelligendum,) vel pro alio aliquo usu præstando, (quod de reliquis fontibus notandum) in totum corpus distribuunt. Et tantum de primi Artis nostræ Conditoris mente, atq; doctrina.

XLI V.

(h) L. 4. de
Morb. p. 498.
l. 45. & p. 502.
l. 3.

Secutus hunc est divinus Plato, qui post Hippocratem, jure quoque inter veteres summus Cordis Patronus salutatur: Nam & is Cordi, quod suum erat, nimirum sanguinis elaborationem, æquissimè tribuebat. Id quod ex nimis obscuris & maximis difficultatum salebris involutis placitis ejus colligere licet. Sufficiat hac vice unicus locus, quæ ex *Timæo* producemus, ubi etiã expresse, ut Hippocrates, Cor sanguinis ΠΗΓΗΝ vocat. Audiamus ipsum augustissimum Philosophum, paucissimis verbis hæc e-

XLV.

C 3

disse-

(g) Διὰ τῆς κοιλίης ἀπάσης διήκειν.

(h) Ἐπὴν ἢ Φάγη ἢ πίνη ὁ ἀνθρώπος, ἔλκει τὸ σῶμα ἐς ἑαυτὸ ἐκ τῆς κοιλίης τῆς ἐκμάδου τῆς εἰρημένης, καὶ αἱ πηγαὶ ἔλκυσσι Διὰ τῶν φλεβῶν ἀπὸ τῆς κοιλίης, ἢ ὁμοίᾳ ἐκμάσσει τὴν ἀμοίβην; καὶ Διὰ δίδωσι τῷ σῶματι:

(i) Tim. p. 70
A. edit. Ser-
rani.

differentem: (i) *Cor vero simul & venarum FONTEM Sanguinisq̄, qui per omnes Corporis partes copiosè per alveos suos dimanat, inter stipatorum sedem Dii collocarunt.*

XLVI. Qua autem via quoque modo Chylus ad cor ex ventriculo perveniat, vix ex autore licet assequi: Vasa tamen mesaraica cum Hippocrate huic muneri eum destinasse, conjicimus ex his ejus verbis, quæ, dum de actione Ignis interni sive caloris naturalis in (k) *potulenta & esculenta*, in ventriculo inventa, agit, divinus iste Philosophus profert: (l) *Liquefacit autem calor naturalis potulenta & esculenta, & in minutas partes distribuit per exitus quæ pervadit, quemadmodum ex fonte ad alveos ipsa ad venas hauriens, atq̄, quasi per cor vallem manans per corpus, venarum fluenta diducit.*

XLVII. Ob quæ verba, quod obiter hic monemus, an jure vapulet Plato à Cl. Gassendo, æquo Lectori judicium committimus. Est autem hæc Gassendi censura: (m) *Plato, ut videtur ignorasse Anatomen, cum demitti potum in ventrem per arteriam asperam censuit; sic etiam videtur, dum existimavit, esculenta potulentaq̄, post exolutionem in minima, protrudi vi ignis ex ventre ipso, tanquam ex fonte, in venas, tanquam in canales, sicque distribui per totum corpus.*

XLIIIX. Nos ad Platonem; cujus ante propositam sententiam etiam ex verbis ejus, quæ non multo post subnectit, haud diffi-

(i) *τὴν δὲ καρδίαν ἅμα τῶν φλεβῶν καὶ πηγὴν τῆς περιφερομένης καὶ πάντα τὰ μέλη σφοδρῶς αἵματι, εἰς τὴν δωροφορικῶν οἰκισιν κατέστησαν.*

(k) *τὰ σιτία καὶ ποτὰ.*

(l) *τῆκε δὲ καὶ καὶ σμικρὰ διαίτην, ἀπὸ τῶν ἐξόδων, ἢ περὶ πρέουεται, διάγον, οἷται ἐκ κρηνῆς ἐπ' ὀχετὸς Ἰπὶ τὰς φλέβας αὐτῶν αὐτὰ, ῥεῖν ὡσπερ αὐλῶν, ἀπὸ τῆς σώματι, τὰ τῶν φλεβῶν ποιῆ ῥεύματα.*

(m) Phys.
Sect. 3. Mēbr.
Post. L. 5. c. 2.
Operū Tom.
2. p. 305. b.

difficiliter elicimus; sunt autem hujus commatis: (n) ^{(n) Fim. p. 80. D.} Quum enim Ignis five Calor Naturalis cibos secat, & intus effertur, Spiritum affecutus, venasque è ventre communi quadam elatione implet, propterea quod desecta & concocta alimenta inde haurit, & ob has quidē causas per universū corpus ex ventriculo, tanquam principio originis primo & remoto, non ultimo & proximo, omnibus animalibus nutritionis liquores ita diffunduntur. Recenter verò secta ac concocta, & à cognatis quidem suis, partibusq; inutilibus, ablata & separata &c. varios commixtione quadam habent colores: Inter ceteros verò rubeus pellucet, &c. idcirco ejus alimenti, quod ex Corde per universum corpus pervadit, color hujusmodi est, qualem descripsimus, nimirum rubeus, quem SANGVINEM vocamus.

Sed & Platonem soli cordi sanguificationem ascripsisse, etiam ex Libello ejus, de Natura Mundi scripto, cuius alii ipsum Timæum autorem constituunt, probare possemus, ubi expresse (o) ^{(o) p. 102. A.} omne alimentum à radice cordis in corpus induci docetur; verum quia à nonnullis pro suppositio habetur, & augustissimi Philosophi Platonis nomen mentiri creditur, hoc labore lubentes supersedemus, cum & ex recitatis autoris verbis mentem ejus quilibet statim perspicere possit. Verum

(n) Τέμνωντες μὲν τὰ σιτία τῆ πυρὸς, αἰωραμένον ἢ ἐν τῷ πνεύματι ξυνεπομένον. τὰς φλέβας ἢ ἐκ τῆς κοιλίας, τῆ ξυναίωρησει πληρῶνται, τῷ τὰ τετμημένα αὐτόθεν ἐπαντλεῖν, καὶ διὰ ταῦτα δὴ καθ' ὅλον τὸ σῶμα πᾶσι τῆς ζωῆς τὰ τῆς τροφῆς νόματα ἔτιως ἐπίρρυτα γεγονέναι. νεότητῃ ἢ καὶ ἀπὸ ξύγγενων ὄντων, &c. παντοδαπὰ μὲν χρώματα ἴσχει διὰ τὴν ξύμμειξιν. ἢ δ' ἐρυθρὰ πλείστη περὶ αὐτὸ χροῖα διαθεῖ, &c. ὅθεν τῆ καὶ τὸ σῶμα ρέοντα τὸ χροῖμα ἔχεν ὅταν ὄψιν διεληλύθαμεν ὃ καλεῖται Αἷμα.

(o) τροφὰ πᾶσα ἀπὸ ρίζας τῆς καρδίας τῷ σώματι ἐπάγεται.

L. Verum enim verò, quamvis & Hippocrates & Plato cum suis asseclis Cordis sanguificationem justè attruxerint, & in nullo alio viscere sed solo tantum Corde eam fieri rectè docuerint, prohibere tamen non potuerunt, quin & alii suam sententiam mortalibus inculcarent, & tanquam verissimam obtruderent: Imò quia, ut vulgatum veriverbium sonat, major pars concludebat, rejectâ verissimâ Hippocratis & Platonis sententiâ, falsas cæterorum opiniones ambabus, ut ajunt, ulnis amplexi sunt.

LI. Versabatur igitur tum Cor magnis in angustiis. Quamvis enim non pauci cum Medici tum Philosophi fuerint, qui ex Hippocratis & Platonis schola prodierunt, minima tamen eorum pars omnia Præceptorum suorum dogmata secuta est. Quare & Cor honores, ex sanguificatione adeptos, & hætenus jure sibi soli destinatos, ex parte deponere, Aristotelisq; jussu ac decreto cum Liene communes habere cœpit.

LII. Patet id ex scriptis Aristotelis passim, & ita quidè patet, ut Cordi sanguificationem eum adscribere nemo Philosophorū & Medicorum inficias eat. Apertè n. Philosophus quamplurimis in locis Cor (p) *Principium Sanguinis*, item, (q) *Locum & conceptaculum primi sanguinis*, imò eodem vocabulo cum Hippocrate & Platone utens ΠΗΓΗΝ seu *Fontem sanguinis* vocat. (r) *Sanguis enim*, inquit, *ex Corde ad venas quoq; derivatur: At verò ad Cor non aliunde devenit: Id enim origo prima & FONNS sanguinis, aut Conceptaculum primum.*

(r) L. 3. de
part. anim.
c. 4. p. 1152. A.

LIII. Sic quoque per quas vias Cibus ex ventriculo Cordi in-

(p) ἀρχὴν τῆς αἵματις.

(q) τόπον ἢ ὑποδοχὴν τῆς πρώτης αἵματις.

(r) Ἐκ τῆς καρδίας γὰρ ἐποχετεύεται (τὸ αἷμα) εἰς τὰς φλέβας, εἰς ἣ τὴν καρδίαν ἐκ ἀλλοθεν, αὕτη γὰρ ἐστὶν ἀρχὴ ἢ ΠΗΓΗ τῆς αἵματις, ἢ ὑποδοχὴ πρώτη.

di infundatur, satis clarè docet, easque vasa mesaraica
 rubea esse expressè indicat, dum in sequentia erumpit
 verba: (s) *Quod Lactes seu mesenterium vocant, membrana*
est, pertendens continua de intestinorum tenore seu producti-
one, ad venam usque majorem & aortam, plena venarum &
arteriarum multarum atque frequentium, quæ ab intestinis
ad venam majorem aortamque permeant: per quas, tanquam
ra dices, cibus de ventre ad venas defertur.

(s) L. 4. de
 part. An. c. 4.
 p. 1174. B. &
 1175. A.

Hinc etiam *Aristoteles* vasa mesenterii sanguiduca,
 (quæ, ut *Hippocrates* & *Plato*, communi nomine *venas* vo-
 cat) arborum radicibus comparat, eaque chylum ex
 ventriculo & Intestinis, velut radices è terra succum nu-
 tritium, exsugere, & partim (t) ad venam majorem seu ca-
 vâ, mediante vena portæ, partim ad aortam mediante, scil.
 arteria Cæliaca, deferre, ut inde cordi infundatur, monet.

LIV.

Favet huic nostræ explicationi Ingeniosissimus *Gas-*
sendus, (u) qui itidem credit, quod *Aristoteles* per venam
 magnam, venam cavam, & per aortam, arteriam aor-
 tam intellexerit, & in utraque vasa mesaraicas tendere
 voluerit. *Folius* verò, qui (x) notata ab *Aristotele* mesen-
 terii vasa, & radicibus comparata, Lacteas fuisse venas,
Aristoteli jam notas, autumat, accuratius Philosophi ver-
 ba examinantibus nihil persuadebit.

LV.

(u) L. cit.

(x) L. cit.

Voluit igitur *Aristoteles*, quod chylus à corde in San-
 guinè convertatur, non tamen omnis, sed tantum crassior:
 Cum juxta eundem Lien tenuiorem mox ex ventriculo

LVI.

D rapiat

(s) τὸ ἢ καλέμενον μεσέντερον, ἔστι μὲν ὑμῖν. Διαφέρει ἢ συν-
 ἔχεις ἀπὸ τῆς τῶν ἐντέρων ὀδύσσεως, εἰς τὴν φλέβα τὴν
 μεγάλην, καὶ τὴν αὐρτήν, πλήρες ὄν φλεβῶν πολλῶν, καὶ πυκνῶν,
 δι' ἃς εἰς τὰς φλέβας ἐκ τῆς κοιλίας, οἷον διὰ ριζῶν προέεται
 ἢ προφῆ.

(t) εἰς τὴν φλέβα τὴν μεγάλην καὶ τὴν αὐρτήν.

(y) Lib. 3. de
part. anim.
c. 7. p. 1160.
D. vide etiam
Conring. de
Gen. sang.
c. 4. p. 20.

LVII.

rapiat & coquat. Quod expressè alibi docet: (y) *Lien*, inquit, *humores* (non vapores, ut *Gaza* vertit) *vacantes* *divertit* & *attrahit ex ventriculo; & concoquere eos potest, ut qui sanguineus sit.*

LVII.

Per quas verò vias *Lien* hoc exequatur, ex autore afsecuti non sumus. Si divinationi hic quoque locus, vas breve substituimus, cum *Lien* & ventriculus nullo alio vase quam brevi connectantur. Neque enim verisimile est, quod *Aristoteles* per vasa quædam adhuc incognita id perfici voluerit.

LIIIX.

Est itaque, ut ex citatis & aliis Philosophi locis certò colligere licet, hæc ejus de sanguificatione mens: Postquam *Cibus* in ventriculum ingestus *Chyli* naturam assumpsit, mox *Lien* per vas breve partem ejus tenuiorem attrahit & concoquit, crassiorem vero partem, per orificium ventriculi dextrum, *Pylorum* nempe, in intestina detrusam, vasa *Mesaraica*, cum ad venam *Portæ*, tum ad arteriam *Coeliacam*, deferunt, quarum dein illa *Cava*, hæc *aortæ*, *cava* autem & *aorta* *Cordi* eum infundunt, ubi in sanguinem bonum mutatur, tandemq; toti corpori suppeditatur.

LIX.

Et sanè mansit hæc de sanguificatione sententia per aliquot secula salva ac inviolata, imò rejectis aliis hæc sola palmam veritatis reportavit, utpote autoritate & suffragio summorum virorum stipata. Hinc quamvis nunquam, aut *Medici Hippocratici*, aut *Philosophi Platonici*, novas *Peripateticis* excitarunt lites, semper tamen hos impetus masculè isti tùm sustinuerunt, & imprimis *Logicis* suis demonstrationibus, tanquam muris insuperabilibus, *Majestatem* suæ doctrinæ muniverunt.

Verum

(y) Ο' σπλιών ἀντ' ἅρ' ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἐκμάδας τὰς πρὸς αὐτὸν, καὶ δύνάται συμπέπειν, αἷμα τὰ δὲ ὄντα:

Verum enimverò rectissimè Oedipus apud Senecam LX.

Tragædum:

*Ut alta ventos semper excipiunt juga,
Rupemq; saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa fortuna objacent.*

Sic quoq; & Rex Microcosmi Cor diros ejusmodi sensit impetus. Hoc n. cum in summo honorum fastigio versaretur, nec quicquam mali à medicis sibi imminere prevederet, venit ecce Galenus, (quem Fuchsius testatur (z) a Deo excitatum esse, ut dissipatam suis temporibus Medicinam repararet;) honorum cordis summo cum detrimento. Nam is pro imperio, quod tum temporis in Anatomiam obtinebat, Cor summa qua abundabat potentia privavit privatum totaliter abdicavit, abdicatum in servitutum dejecit, & ut imposterum Hepati, cui sanguificationis laudem largitus est, serviret, precepit.

(z) Institut. Medic. Lib. 1. sect. 1. c. 1. Op. Didact. part. 1. p. 3. E.

Voluit autem maximus iste Hepatis Patronus, imò LXI. non tantum ipse voluit, sed & ut posteri idem quoque cum eo vellent mandavit, ut hoc modo postmodum de αἰματώσει sentiant mortales: Postquam cibus per œsophagum Ventriculum intravit, mox facultas ventriculi (quam Alteratricem alibi vocat) eum aggreditur, & utile ab inutili secernit, quorum hoc infernè ad intestina pellit, & per ea expellit; illud verò magis elaborat, ac in chylum, qui sanguinis materiam idoneam suppeditet, vertit. Quo peracto exigua quidem chyli pars per paucas illas mesaraicas venas ad ventriculum tendentes ex eo exsugitur; maxima vero ejus quantitas per pylorum in intestina delapsa, venis mesaraicis, qua copiosissimè ad intestina perveniunt, distribuitur. Hæ venæ attractum Chylum in Venam Portam, cui inseruntur, eructant; Quem tamen prius, adeptâ ab Hepate vi, magis prepararunt, eiq; ve-

De usu part.

L. 4.

c. 1.

c. 7.

c. 1.

c. 8.

c. 1. & 8.

c. 2.

c. 3. & 12.

c. 1.
 c. 12.
 c. 3.
 c. 4.
 c. 15.
 c. 4.
 c. 5.
 c. 6.

luti rudem quandam delineationem, obscuramq; speciem sanguinis communicarunt. Tandem verò per venam Porta in Hepar defertur; Ubi in ipsa Hepatis carne, propriaq; ejus substantia, ab ipsa visceris hujus caliditate fervet, coquitur, & in sanguinem bonum mutatur. Et in hac quoq; coctione ac bullitione itidem qua adhuc inutilia sunt, nec ante secernebantur, jam segregantur, eaq; tam crassa limosaq;, quam tenuia & levia. Quorum illa per rami Splenici vas breve (quod aliàs vas venosum vocat, & stomacho comparat,) in Lienem; Hæc per plurimos exiles meatus, multifariis in Hepate ramulis donatos, postea verò in unum meatum junctos, in vesiculam fellis evacuantur. Repurgatus autem sanguis perfectusq;, dein sursum ad gibbas Hepatis partes ascendit: Ubi à vena Cava excipitur, & toti corpori communicatur. Quia tamen & in vena Cava multo adhuc humore tenui & aquoso plenus est sanguis, humor verò iste, postquam suo officio persunctus est, (ut scil. vehiculi instar chylum per venas mesaraicas & angustos porte ad Hepar tendentes meatus, quo facilius transfiret, dilueret;) corpori potius oneri esset, cum planè inutilis sit: Hinc Renes per vasa sua attrahentia, paulum sub Hepate vena Cava inserta, ex ipsa tenuem istam excrementitiam humiditatem confestim attrahunt, ut ita solus tandem purusq; sanguis per totum corpus eat, paucà tantum ipsi admistà aquosà humiditate. Et hæc est Galeni de sanguificatione sententia, quam ex Placitis ejus, retentis quantum fieri potuit ipsissimis auctoris verbis, breviter proponere libuit.

LXII.

Sic igitur nobilissimum Viscus Cor honorem & dignitatem, quam jure pro labore suo per plus quam sex secula variâ licet fortunâ obtinuerat, deponere, Hepatiq; immerenti omni ex parte concedere cogebatur. Nec remansit spes ulla recuperandi imperii legitimi. Omnes namque subsequentes Medici, quia multum debebant

Præce-

Præceptori suo, pro Hepate causam dicebant. Quare, licet nonnunquam nonnulli, Hippocratis aut Aristotelis partes secuti, in recuperanda pristina dignitate Cordi suppetias ferre non recusarint, prævaluerunt tamen Hepatis defensores, ita ut & plurimi Philosophorum in castra Galenicorum transferant, alii verò de victoria addubitan-
tantes, neque tamen se parti adversæ dedere volentes, controversiam hanc planè intactam reliquerint.

Accesserunt insuper & Arabes, qui autoritate suâ Galenicam hanc de *αἰματώσει* doctrinam mirum quantum firmarunt. LXIII.

Sic enim antiquissimus ille Arabs Cordubensis Rabi LXIV.
Moses in suis Aphorismis: (a) *Alimentum à ventriculo elaboratum, ubi ad Hepar traxerunt vena, ibi rursus fervet & con-*
coquitur, alteraturq; in sanguinis generationem. Ex qui-
bus verbis, & organum sanguificationis, & viæ chylum
cō deferentes, haud obscure indicantur. (a) Sect. 3.
aph. 34. p. 52.
edit. Basil.

Nec diversum sentit Mesue, quem Medicina Evangelica Scholastici vocant. Licet enim de consensu jure quis dubitare posset, cum in Canonibus ejus Universalibus
(b) hæc legantur verba: *Stomachicum verò etiam miscendum medicamentis dissolvendo purgantibus, ut Stomachum
(& hepar) facultatis naturalis Fontes muniat & tueatur.* Adde
quod non ita multò post Autor Cor inter partes nutrito-
rias, secundum versionem Sylvii, aut nutritivas, juxta an-
tiquam versionem, numerare videatur, dum vertente Syl-
vio inquit: (c) *Styptica deniq; Cor & Ventriculum reliquasq;*
partes nutritivas muniunt, &c. Quæ verba antiqui interpre-
tes ita expresserunt: *Non fit impressio nocumentorum Cordi
& membris nutritivis ex admistione stypticorum cum medici-*
na purgatrice, &c. (b) Intent. f.
Theor. 2. Ca-
pitulo 1. Can.
2.
(c) Intent. f.
Theor. 2.
Cap. 3.

Verum, quamvis hæc omnia primo aspectu Mesuen LXVI.

suspectum reddere videantur, quasi *Galenii* sententiæ addictus minimè fuerit, quod si tamen textus ipse paulò accuratius perpendatur, facile apparebit, ex allegatis nihil quicquã concludi posse. Nam quod ad verba primo loco citata: Non reperiri in textu Arabico hæc vocabula: & *Hepar*: sed ea ab interprete *Sylvio* addita esse, vel inde conicitur, quia & in parenthesi ponuntur, & imprimis quia in *antiqua versione* plane omissa sunt, ubi jam recitatus paragraphus ita exprimitur: *Medicina quoq; stomachica medicinis solutionem facientibus miscenda sunt, ut virtutum naturalium mineram in eo, intellige stomacho, conservent & temperent.* Præterea quoque ibidem de stomacho tantum agit Autor, quem roborandum esse docet, ne à malignitate purgantium virtus ejus debilitetur; *Omnia enim purgantia genere deleteria, ac suã violentia natura nostra gravissima esse, in Intentione sive Theoremate antecedenti dixit.*

LXVII.

Simili ratione si ea verba, quibus astrui possit, quod Cor partibus nutritoriis seu nutritivis annumeraverit, rectè excutiantur, patebit, eum his verbis Cor à Ventriculo reliquisq; nutritionis partibus sejungere, mentemq; autoris esse, quod Styptica purgantibus medicamentis admixta, non tantum Cor, sed & partes nutritioni dicatas, ne à malignitate purgantium lædantur, aut planè prosternantur, muniant & robovent. Confirmat responsum nostram & hoc, quod *Autor in libri, quem Grabadin vocant, partis posterioris, quæ vulgò de Appropriatis seu Grabadin medicinarum particularium* inscribitur, *sectionis primæ particula secunda*, ubi de medicinis ægritudinis membrorum spiritui servientium agit, etiam de curatione ægritudinum cordis tractet: Cum tamen se in *Particula sequenti* de medicinis ægritudinum membrorum nutritionis locuturum promiserit. Quem ordinem

nem

nem etiam *Continuator Ejus*, *Petrus Apponus Patavinus* Conciliator Scholasticis dictus, in *Supplemento suo* observavit.

Nulla modo igitur evinci potest, recessisse *Mesuen* LXIIX. à communi omniumq; medicorum applausu tum temporis approbata *Galen* sententia. Et licet Autorem claris verbis hæc astruentem, quamvis anxie quæfiverimus, jam adducere haud possimus, plurima tamen in eo reperiuntur loca, ex quibus haud ineptè quilibet id concludere potest.

Abundè fit nobis hic unicus, qui in *sine Libri de Ap-* LXIX. *propriatis* legitur. Ibi enim postquam aliquot ægritudinum Cordis causas proposuit, hæc addit verba. (d) *Et dispositio hepatis cum est alterata ac depravata, ut generet secundum hanc depravationem plurimum sanguinem melancholicum, imprimis malam dispositionem Cordis; & est causa ægritudinum Cordis, & est gravior dispositionibus aliis: ita ut faciat dispositionem similem mania & melancholia.* Ex his sane verbis optimè colligitur, autorem Hepati sanguificationem adscripsisse; non posset enim Hepar male dispositum pravum generare sanguinem, nisi benè dispositum optimum etiam conficeret.

(d) Grabadin L. 2. sect. 1. particula. 2. summa 3. capitulo 1.

Secutus eum est *Franciscus de Pede Montium*, qui in *Sup-* LXX. *plemento suo*, quod in hanc posteriorem libri *Grabadin* partem conscripsit, *Hepar* expressè *Fontem & Mineram naturalis virtutis sanguinem generantis, à quo venæ originem habeant, esse, docet.* cap. 6.

Porro, ejusdem sententiæ, cujus *Mesues*, fuit *Abuchare* LXXI. *Mugamet Medicus filius Zachariae Rasis*; id quod ubertim ex Libro ejus, quem *Helchavy*, id est, *Continentem artem Medicinæ*, ipse nominavit, demonstrari posset. Unum itidem hac vice adducemus locum, ne nimia prolilita-

Lib. 6. capi-
tulo 2. Ru-
brica O.

xitate nauseam cuiquam moveamus. Ita autem expresse in capite, in quo *de aegritudinibus Hepatis* differit, inquit: *Quod si egestio fuerit chylosa, proprie significat, quod ex debilitate virtutis Hepatis attractiva est, &c. quod si cum egestione chylosa fuerit arugo tenuis, tunc erit in venis, per quas transportatur nutrimentum ad Hepar, apostema calidum. Et paulo post: Quod si videris egestionem fuisse chylosam, in qua fuerit arugo, & in Hepate non fuerint signa apostematis, noscas, quod Hepar non est infirmum, nec est passio chylosae egestionis ex debilitate virtutis attractivae ejus: sed in venis, per quas transportatur nutrimentum ad Hepar, est apostema calidum.*

LXXI.

Ex quibus patet, *Rhasen* quoque soli Hepati sanguificationis laudem assignasse; quod enim per Nutrimenti vocabulum, hic non nutrimentum Hepatis, sive sanguinem in nutritionem Hepati transmissum, intelligat, sed potius alimentum ore assumptum, & in ventriculo coctum, vel exinde constat, quod hic docet, quod, nisi hoc nutrimentum ad Hepar per venas mesaraicas, ob Apostema earum, vergat, aut ab Hepatis vi attractrice debili attractatur, chylosa inde egestio oriatur, descendente nimirum chylo, non patentibus ordinariis viis, ad intestina & anum.

LXXII.

Tractatu 1.
capitulo 17.

Idem multo adhuc clarius in *Almansore* suo tradit: *Ex Hepatis, inquit, concavitate canalium quidam nascitur, qui porta vocatur hepatis, cujus figura venae tenet similitudinem, sanguinem vero non retinet. Hic autem canalis in multas separatur partes, quarum unaquaeque iterum tandem in multas separatur partes, quousque divisiones recipiat infinitas. Quarum multae divisiones (loquitur hic de venis mesaraicis) ad inferiora tendunt stomachi, & multae istarum ad duodenum, & divisiones multae ad jejunum vadunt, & sic etiam ad alia protendantur intestina, donec ad intestinum perveniunt rectum. Et*
ista

ista quidem sunt orificia per quæ nutrimentum Hepati aueratur, quæ in suo transiitu non cessat ire, donec est strictiori ad locum ampliorem: donec aggregetur in canali, qui est Hepatis Porta. Predictus autem canalus in interiori Hepatis parte in partes ad modum capillorum subtiles dividitur, in quibus nutrimentum, quod ex ventriculo fuit tractum, ad Hepar dispartitur, & à carne Hepatis tam diu coquitur, donec sanguis fiat. Hoc suum assertum paulò post in alio capitulo, ubi de usu partium nutritionis agit, confirmat.

cap. 22.

Verum enim verò, quæ *Mesues*, quæ *Rhases* senserunt, iisdem & reliqui *Arabes* omnes calculum suum addiderunt, quod, si necessitas aliqua id efflagitaret, ex scriptis eorum abundè satis astruere possemus. LXXIII.

Quare jam nec ex ipso *Arabum Medicorum Principe*, quem corrupto *Ebensina* nomine *Avicennam* vocamus, quicquam addemus: Ex cuius tamen scriptis uberimè colligi potest, quam firmiter fuerit *Galen*i opinio mentibus *Arabum* infixæ, cum adhuc ipsius *Avicennæ* tempore, qui post *Mesuen* quarto demum seculo vixit, facta rectaque floruerit. Adeat quicumque volet ipsum *Auctorem*, imprimis verò ubi de *anatomia Hepatis & Splenis* differit, & fateri cogetur, ipsissimam *Galen*i sententiam, ne dicam verba, ibidem reperiri: *Hepar* (inquit in historia anatomica hepatis) est membrum quod generat sanguinem, quamvis *mesaraica* convertant quandoq; *chylum* ad sanguinem conversione aliqua, propter illud quod est in eis de virtute hepatis, &c. *Splen* verò (ait idem in historia anatomica *Lienis*) omninò est evacuatorium fecis sanguinis, & adustionis ejus, & sunt *melancholia naturalis & accidental*s, &c.

Canon. L. 3.
fen. 14. tract.
I. C. 1.

Can. lib. 3.
fen. 15. tract.
I. C. 2.

Crevit igitur hoc modo *Majestas Hepatis*, crevit inquam de die in diem, quia eam autoritas *Magnatum Medicinæ* LXXV.

E dicinæ

Lib. 8. de
compos. me-
dic. fec. 10-
ca. c. 1. cl. 5.
p. 187. C.

dicinæ quotidie firmavit. Scilicet, ita comparatum est nobiscum, ut sententiam eam, quam existimatio Virorum magnorum approbavit, priusquam sub incudem rectæ rationis vocemus, jam ambabus, ut ajunt, amplectemur ulnis, omnia spernentes, quæ contra ab aliis, verissime licet, inferuntur. Hinc (*) rectè Galenus: *Quod semper dico, etiam nunc proloquar, nimirum, persuasum me habere, quod difficillimum ad veritatem revocare eos, qui sectæ alicujus servituti se addixerunt.* Imo sane, ô Galene non difficillimum tantum sed etiam omninò impossibile videbatur, & adhuc videtur, ad veritatem revocare eos, qui sectæ tuæ servituti se addixerunt. Inveniuntur enim plurimi, qui licet tuis meliora videant probentq; ea non sequantur, quia fascino autoritatis & antiquitatis tuæ læsi sunt.

LXXVI.

In Comm.
ad c. 5. l. 4.
phys.

Similes sane *Didaco Masio*: Hic namque explicans quæstionem hanc Physicam, an locus sit superficies, an verò spatium? vidensque, rationes locum spatium esse probantes, secus quam *Aristoteli* ac aliis visum, firmiores & veriores esse, in hæc tandem erumpit verba: *Ego verò, nisi me Aristotelis autoritas & D. Thomæ compelleret, manibus pedibusve in sententiam de Intervallo libenter abirem, quam & intellectu faciliorem, paucioribusq; difficultatibus patere, si attentè & argumenta superiora, & quæ de Natura illius diximus, contempleremur, facile deprehendemus. Verum quia ingenii fasces submitendi sunt Aristoteli & Divo Thomæ, fatemur, locum superficiem esse, & non intervallum, quia hi gravissimi Philosophi tradiderunt.* Hæc *Masius*; sed

quam
(*) Ο'περ αει λέγω, κ' νυν έρω, πεπειθ' μένος, ότι χαλεπώτα-
τόν έστι μεταστ'ηναι προς την αληθειαν της Φθ'σαντας αιρεσει
δ'αλευειν.

quam bellè, facile vident ii, queis de meliori luto finxit præcordia Titan. Quasi vero & *Aristoteles* & *D. Thomas*, & alii errare non potuerint, cum homines fuerint, & humanæ conditioni, à qua errare alienum non est, subiecti.

Pugnarunt igitur pro Hepate discipuli Galeni acerrime, suamque sententiam variis ac speciosis rationibus, maxima ex parte ex ipsis *Galenii* fontibus petitis, mirum in modum confirmarunt. **LXXVII.**

Unicus tamen restabat nodus Gordius, quem licet **LXXVIII.** quam plurimi solvere conarentur, imò se soluisse gloria- rentur, nullus tamen curiosus, & iis qui paulò accuratius hæc examinarunt, satisfecit. Fuit autem is hic: *Per quas vias Chylus ad Hepar feratur?* Exercuit hæc quæstio tot præclarissima ingenia, atque ut in varias irent partes unica causa fuit. Quamvis enim omnes necessariò Hepar chylum in sanguinem convertere crederent, non tamen omnes in via tradenda convenerunt, sed alius hanc, alius aliam chylo assignavit viam.

Celeberrimus *Sennertus* octo potiores Galenicorum **LXXIX.** sententias recenset, qui omnes Chylum quidem ad Hepar deferri non dubitarunt, diversas tamen vias ei assignarunt. *Alii enim* (verba sunt Clarissimi Viri) *per solas Ventriculi venas ad Hepar chylum deferri, per mesaraicas vero nutriri intestina statuunt.* *Alii utrisque utrumque munus attribuant, numero saltem eas discernunt.* *Alii de mesaraicis saltem disputant, & tamen quatuor sectarum sunt.* *Alii solum chylum ferre venas mesaraicas putant.* *Alii & chylum & sanguinem, ita tamen, ut alia vena mesaraica sint, que sanguinem, alia que chylum ferant.* *Alii utrumque munus omnibus assignant, sed diversis temporibus nunc huic nunc illo officio vacare statuunt.* *Alii eodem tempore omnes utroque officio fungi existimant.* Et quidem alii præcipuè chylo deferendo, secunda-

Lib. 3. pract.
part. 3. c. 1.
p. 437. a.

riò sanguini destinatos esse putant. Tandem sunt qui disputant, an toto venarum harum ductu uterq; humor feratur, an in parte & latere uno chylus, in reliquo & dimidio sanguis, Hæc Sennertus, quem acutissimus Gassendus, in enumeratione diversissimarum, de chyli ad Hepar transitu, sententiarum, superat, (a) novâque, & eâ quidem Fallopiânâ, de chyli per porum choledochum, sibi chylodochum dictum, ad Jecur distributione, auget. (b) Unde sanè liquet, quam miserè se torserint Hepatis patroni, ut Galeni sui opinionem defenderent; & quam maximis pressi fuerint difficultatibus, dum invitâ ipsâ rerum naturâ cor honore illi ab eâ concessio spoliare decreverunt.

(a) Phys. Sect.
3. membr.
Post. L. 5. c. 2.
Operû Tom.
2. p. 305. b. &
306. a.
(b) L. cit. p.
306. b. &
seq.

XXC.

Anno 1622.

Quibus tamen disceptationibus, quæ per tot secula plurimos exercuerant magnos viros, colophonem videbatur imposuisse Casparus Asellius, Anatomicus Ticinensis, dum ante triginta & aliquot annos in Mesenterio, præter triplex illud vasorum mesaraicorum genus, omnibus hætenus notum, venas nimirum, arterias & nervos, adhuc alias venas, quas ob succum quem continent Lacteas vocavit, invenit, easque, quia & intestina & Hepar attingere credidit, ex intestinis quoque chylum exfugere, & in hepar eructare voluit.

XXCI.

Hujus vestigia alii mox Medici sequentes rei veritatem publicis privatisque sectionibus confirmarunt, novoque huic invento fidem ipsissimam addiderunt. Idque adeò constanter & apertè, ut sola harum venarum inventio hoc præstiterit, quod tot rationes & argumenta, contra cordis Patronos hætenus prolata præstare minimè valuerunt. Nullus enim jam ferè erat, qui absque cœcitatibus & ignorantia macula contradicere auderet.

XXCII.

Adjunxerunt huic invento dein etiam plurima media, quæ sanguificationem Hepatis magis magisque astruerent.

rent. Hepar, inquiunt, venarum est principium; In Hepate praeterea sunt organa distributionis; Circa Hepar etiam sunt excrementorum receptacula; Imò, laeso Hepate laeditur sanguificatio, Hæc potiora sunt media, quibus opinionem suam, ut diximus, astruere allaborarunt. Quæ tamen, si rectè excipiantur & perpendantur, speciem potius veri quam verum ipsum præ se ferre deprehendentur.

Nam, quod ad primum, non Hepar sed Cor venarum **XXCIII.** est principium, ut rectè etiam docent Plato, (a) Aristoteles, (b) eosque sequentes Philosophi ac Medici nonnulli. Si enim fœtum humanum, aut alium aliquem nuperrimè natum, (verba sunt Jll. Harvei) (c) diligenter inspexeris, dissectaq; venâ cavâ, inter auriculam dextram Cordis & diaphragma, deorsum versus contemplatus fueris, comperies tria foramina; quorum maximum & posterius ad spinam tendens, est venæ cavæ descendens; anterius & minus, in radicem ac truncum vasorum umbilicalium fertur; tertium & minimum jecur ingreditur, estq; ramulorum omnium in gibbum hepatis sparsorum origo & truncus. Unde aperte constat, venas è jecore, ut plurimi volunt, tanquam principio, nequaquam proficisci, sed à corde. Nisi quis obstinatè affirmare velit, truncum venæ ab aliquo suo ramulo, non autem ramos à trunco ortum ducere. Recte igitur, ut etiam magnum illud Artis nostræ Lumen Guern. Rolfincius testatur, (d) nullam venam ex Hepate oriri confirmant Professorum oculo demonstratione. Truncus enim venæ Cavæ à summo sterno ad os sacrum continuatus est, sine ullâ in Hepate interruptione. Adhæret solum jecori in cavis partibus, potestq; integer aut illæsus sine ullâ divisione aut laceratione parenchymatis separari. Non movet nos igitur ab hac assertione gravissima Galeni censura, qui eam (e) valde absurdam vocat; nec etiam severa Laurentii virgula,

(a) in Timeo
p. 70. A.

(b) L. 2. de
part. An. c. 1.
p. 1116. E. &

c. 9. p. 1130. D.
L. 3. de part.
an. c. 4. p. 1151.

D. Et 1152. F.
de Gen. an.
c. 4. p. 1257. D.

& c. 6. p. 1262.
F. de Somn.
& vig. c. 3

p. 1462. D. de
Resp. c. 8.
1506. D.

(c) de Gen.
An. Ex. 53.
p. 218. & Ex.
de Umbil.

p. 399.

(d) Dis. de
Hep. c. 3. in
fine.

(e) de Hipp.
& Plat. Decr.
L. 6. c. 8. cl. 1. f.

265. F.

E 3

qui

(e) ἀτοπον ἰκανῶς.

(f) Hist. An-
nat. L. 1.
Quæst. 2.
p. 24.

(g) L. cit.

(h) Sect. post.
c. 5. par. 7 p. 27.

qui, quod vena ab hepate ortum ducant, vel cæcum etiam vide-
re, scribit. (f) Multo minus nos movet communis illa
objectio dum, si vena ex corde orirentur, omnes quoque venas
cordi continuas esse debere, contendunt: quod tamen de vena
Portæ, etiam ipso Galeno (g) attestante dici non possit, ut pote
quæ Cor non attingat, sed hepar, in quod omnes etiam venæ tan-
tum conveniunt. Hæc, inquam, objectio nos non movet,
cum non adeò graviter, ut quidem primo intuitu appa-
ret, nos feriat. Nam rami Portæ cum Cavæ ramis ita
conjuncti sunt, ut hinc Porta nonnullis Cavæ appendix
vocetur. Quod cum nuper paulò fufius in *Dissert. Nostra de
Nutr. Fœtus Human. utero* (h) declaraverimus, hic repetere
superfedemus.

XXCIV

Sed & quod ad secundum, negamus dari in Hepate
organa distributionis. Cum enim, ita consentiente Na-
tura, jam ab omnibus ferè Anatomicis per organa distri-
butionis non venæ sed Arteriæ intelligantur, & per has
non verò illas sanguis in omnes corporis partes feratur:
Arteriæ etiam maximæ non in Hepate sed potius Corde
reperiantur; quis quæso non videt, in Corde potius
quàm Hepate dari organa distributionis? Quamvis &
in Hepate organa ejusmodi dari concedamus, modò per
ea non intelligant Universalia, quæ toti Corpori sangui-
nem distribuunt, sed particularia tantum, nimirum, exi-
les arteriolas, à Cæliaca per summam Hepatis partem
dispersas, Jecori nutrimentum Cordisque calorem sup-
peditantes.

XXCV.

Sunt præterea circa Hepar excrementorum recepta-
cula

(g) τῆς δ' ἐπὶ ταῖς πύλαις φλεβὸς ἑδ' αὐτῶς ἂν ἀρχὴ ἢ τελευτὴ
νομίζοιτο, ἢ καρδία, μὴ αὐτῆς ἐκείνης τῆς φλεβὸς εἰς τὴν καρδίαν
παραγωγῆς, ἀλλ' εἰς τὸ ἥπαρ, ὃ ἀρχὴ τε ἅμα καὶ τελευτὴ συμ-
πασῶν ἐστὶ φλεβῶν.

cula, imò esse debebant non quidem, quia in Hepate sanguificatio ipsa fit sed quia in illo segregatio fit heterogeneorum, ut eò melius in Corde *αιμάτωσις* celebrari possit. Sicut enim Cibi illa pars, quæ excrementis aliquibus scatet, antequam Culinæ inferatur, prius mundificatur, & ab omnibus sordibus vindicatur: Ita etiam necesse est, ut priusquam humanæ culinæ alimentum illud, quod à partibus diversas ob causas refluit, & cui heterogenea quædam admixta sunt, tradatur, prius purificetur, & ab omnibus heterogeneis quantū possibile separetur.

Quod verò tandem læso hepate sanguificatio lædatur, non fit, quia in illo sanguificatio celebratur, sed quia tum in eo non tantum id quod inutile plane est & recrementitium, atque sanguificationi maximè noxium, bilem intelligo, non segregatur, verum etiam quia id, quod chylo aliàs diluendo utile adhuc & necessarium est, de lymphæ Bartholinianæ sermo, hac ratione non suppeditatur. Ita etiam læso ventriculo, læsis venis lacteis, aliisque partibus, læditur sanguificatio, cum tamen, quod in iis sanguificatio fiat, dicere velle, absurdum planè sit, & à veritate maximè alienum. XXCVI.

Quæ cum ita sint, quis quæso non cernit, quam speciosa fuerint media, quibus Galenici Hepatis facultatem *αιματοποιητικήν* probare conati sunt? Quod sanè cum plurimi docti Viri æquè advertissent, assumere tamen cogebantur, quia iis pondus maximum addebāt inventum *Asellii*, clarissimorum Anatomicorum autoritate ac experientiâ defensum. Vasis enim Lacteis inventis controversiam illam de loco *αιμάτωσεως* decisam planè jam esse gloriabantur, nec aliquem facile contradicturum, qui visum suum consuluerit, & oculis suis fidem habere voluerit, XXCVII

Senn. L. 3.
pract. part.
3. c. 1. p. 414. b.

Att,

XXCIX

Ast, optimè Divinus Seneca: *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multum adhuc restat operis, multumq; restabit, nec ulli nato post mille secula praecludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Rerum namq; Natura, ut idem alibi inquit, sacra sua non simul tradit: Initiatos nos credimus: in vestibulo ejus haeremus. Illa arcana non promiscuè nec omnibus patent: Reducta & in Interiore sacrario clausa, ex quibus aliud hæc ætas, aliud que post nos subibit, accipiet.*

XXCIX.

Et certe, quod rerum Natura sacra sua non simul tradat, si nullâ alia re, vel historia de *αιματωσει* tantum satis superque demonstrari potest. Licet enim *Asellius* venas Lacteas felicissimè invenerit, licet reliqua Anatomicorum accuratiorum turba veritatem earum rationibus & & multis sectionum myriadibus doctissimè demonstraverit, progressum tamen earum veramque insertionem omnes ignorarunt, dum eas ex intestinis per mediam mesenterii glandulam vergere, & in hepar terminari putarunt, chyloque Hepati deferendò destinarunt.

XC.

Gratulabatur sibi Hepar de tanto invento quo sanguificationem æternam ob defensores summos sibi pollicebatur, non tamen in æternum. Postquam enim Cl.

(a) An. 1650. *Joannes Pecquetus* paucis retrò annis (a) Lutetiæ Parisiorum nova quædam chyli vasa, è chyli receptaculo, infra Mesenterii centrum sito, (quod Celeberr. *Jacobus Mentelius*,

(b) An. 1629, *Æsculapius Parisinus*, jam longè ante (b) à se, etiam attestante Cl. *Gvil. de Henaut* (c) observatum, ac Philiatris demonstratum, *Chyli quasi Impluvium seu Confluvium* vocat) (d) emergentia, & modò simplici modò duplici ductu intra Thoracem adscendentia, inque axillarem terminantia in Brutis feliciter invenisset, eademque in Homine pari felicitate in Theatro Hafniensi Celeberrimus *Th. Bartholinus* demonstrasset, magnam jam digni-

(c) in clypeo
telis Car. le
Noble obje-
cto. p. 7.
(d) in Fpist.
ad Pec. qu. P.
149. edit. Pa-
ris ult.

dignitatis amissæ partem Cor recuperavit. Partem inquam, totam namque recipere non potuit, quia Venæ quæ ex Mesenterio ad Hepar vergunt, pro lacteis habentur, chylumque ex Glandulis Lumbaribus lacteis Bartholinianis in homine, (quibus aliorum observatio dein etiam receptaculum addidit) aut ex receptaculo Menteliano in brutis, ad hepar deferre credebantur.

Diviserunt igitur hæc duo viscera, Cor & Hepar, mediatore Clarissimo *Bartholino* munus suum, ita ut tenuem imprimis Chylum Cor per venas lacteas Thoracicas, illas nimirum, quæ ex glandulis lumbaribus aut receptaculo vergunt, & axillari inseruntur, Hepar verò crassiorem per lacteas abdominis, coquendum & in sanguinem convertendum ascisceret. XCI.

Tulit quidem hæc omnia Hepar ægerrimè, iniquissimoque animo, & per Patronos suos se suamque Majestatem pro virili defendit. Verum quia manus multorum Anatomicorum oculatæ contrarium demonstrant, cedere cogebatur, almamque victoriæ palmam cordi concedere. XCII.

Erat autem hæc inventio Lactearum Thoracicarum Prodromus certissimus, qui interitum Hepatis appropinquantem, imò præsentem, non vanè nunciavit. Cui accesserunt modernorum Anatomicorum curæ & cogitationes, in contemplandis rimandisque interioribus corporis penetralibus. Quibus adde insultus Pecquetianorum, omnem planè Sanguificationis laudem Hepati eripientium; quos tamen masculè sustinuit, quia Lacteas ex mesenterio ad se produci omnes adhuc anatomicos credere probe perspectumque habuit. XCIII.

Cæterum & hic perbrevis vanoque se oblectavit gaudio. Sicut enim *nec mundus major duobus solibus potest regi, nec* XCIV.

gi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere,
Ita etiam mundus minor duo sanguificationis organa fo-
vere non potuit. Quod cum vidissent plurimi, quomo-
do tamen discordia hæc componenda sit, non viderunt.
Per lacteas enim mesentericas in glandulas lombares,
& ex iis per lacteas thoracicas ad Cor chylum ferri, nemo
jam, nisi in Anatomia maximè peregrinus negare potuit:
Sed & ad Hepar venas similes vergere ocularis demon-
stratio evincere videbatur.

XCV.

Diessrt de
Hepate. c. 6.

L.c. c. 1. in fin.

Cæterum in tali Labyrintho hærentibus omnibus,
prodiit ecce omnium Anatomicorum hoc seculo ocula-
tissimus *Thomas Bartholinus*, qui ἀγαθὸν τὸ ἔργον (ut loquitur
Cl. *Rolfincius*) *Immortali nominis cum gloria*, multâ expe-
rientiâ edoctus, certis indubitatisque rationibus & ocu-
lari demonstratione firmatus, primum discipulis suis a-
liisque amicis multoties, dein & universo Orbi literato,
in tractatu suo de *Vasis Lymphaticis in Brutis* inventis edito,
quem jure aureum modo laudatus *Rolfincius* nominat, de-
monstravit, Vasa illa quæ ex Mesenterio in Hepar infe-
runtur, non esse venas Lacteas, similes lacteis *Asellia-*
nis, quæ in in Receptaculum glandulasque *Bartholinia-*
nas chylum eructant, ut quidem omnes hætenus credi-
derunt, sed esse Vasa sui generis, quæ non ex glandulis
Lacteis ad hepar, sed ex Hepate ad glandulas illas, non
chylum, sed aquam sinceram vehunt, ut merito *Lympha-*
tica seu Aquosa vocanda sint.

XCVI.

Barth. de vas.
Lymph. in
brutis inven-
tis c. 8. p. 56.

Excidit hoc novo invento (verbis utor *Clarissimi In-*
ventoris) *omni sanguificationis spe tot seculorum applausu de-*
cantatum Hepar. Imò profectò *Vir Celeberrime*, excidit,
nec excidisset, nisi inventum Tuum acutissimum id ex-
cidere fecisset. Merito igitur Tibi omnem jam obten-
tæ victoriæ laudem cor defert, quod ni fallor hisce aut
fimi-

similibus Te alloquens audio verbis: *Salve Anatomicorum huius seculi Princeps, Salve unice dignitatis meae vindex, Salve oculatissime Bartholine: Tu officii mei laudem mihi reddidisti; Tu Sanguificationem mihi jure competere ostendisti; Tu, quod Galenus quod tot alii Viri Clarissimi maximam meam cum ignominia haecenus approbarunt, falsum esse demonstrasti; Tu, quod Hippocrates, quod Plato, quod alii viri sapientissimi haecenus tentarunt, implevisti: Verbo ut dicam; Tu, quod mihi hepar vi eripuit, ereptumque per bis octo secula tot Procerum sententiis firmatum servavit, reddidisti. Accedite igitur, accedite inquam omnes quotquot Theatris Anatomicis cum applausu praestis Anatomici Clarissimi, imò accedite, & vindici meo gratulationem facite. Nam quod Hippocrates & Plato in notitiam viarum non pervenientes asserere, Pecquetus vasa Lymphatica ignorans defendere, non potuerunt, hoc Bartholinus meus invento suo & asseruit & defendit. Talia sunt quae Cor meditatur gratum, cui de tanto Patrono ac duce merito semper gratulamur.*

Verfatur itaque nunc augustissimum Viscus in maxi- XCVII.
mo bonorum suorum fastigio, neque jam insultus Aristotelicorum, aut Galenicorum speciosos ausus, quos eruditissimo plurimorum Anatomicorum, & imprimis Cl. Bartholini (*) calamo feliciter haecenus elusit, quicquam moratur, sed potius de obtento ab omnibus iis, qui veritatem ipsam, non verò propria somnia sectantur, sanguificationis splendore, mirum quantum gloriantur. Imò letiori jam animo alimentum, quod in ventriculo chyli formam assumpsit, & per pylorum in intestina tenuia elapsum, ex illis à lacteis mesaraicis attrahitur, ac Receptaculo Glandulisque Lumbaribus infunditur; & exinde in Thoracicas Lacteas expressum, per illas in axillarem sinistram, cui inseruntur, eru-

(*) Inspicil.
binis &
vasis Lymph.
An. 1655. &
An. 1660.
collectis.



Etatur, atq; sic sanguini circulari motu ad Cor decurrenti mistum ei coquendum traditur: Hoc inquam alimentum letiori jam voluntate in dextro thalamo excipit, atq; in purpuram alimentalem convertit, cui dein per circulationis leges sinistrum ventriculum, solam sanguinis arteriosi officinam, ingresso, totalem ac debitam perfectionem benignissime imperit.

XCIIX. Ast ob illatam haecenus sibi injuriam Hepati insolenti hanc sempiternam lege ascribit poenam, ut sibi in sanguificationis opere imposterum perpetuo serviat, atq; a remeante sanguine bilem ac Lympham segreget, & illam per meatus huic muneri addictos in vesiculam canalemq; biliarium, hanc vero per Vasa Lymphatica Bartholiniana Receptaculum Glandulasq; Lumbares excernat.

XCX. Universo autem terrarum orbi nullum jam alium, praeter suae fortissimiq; sui defensoris Bartholini gloriae laudisque depraedicandae injungit laborem.

C. Cui mandato ne refragari videamur, in perpetuam istius victoriae recordationem, & aeternam ejusdem haecenus masculè retentae memoriam, devotam manu hanc triumphalem affigimus

Tabulam:

CORDI.

NOBILISSIMO. VISCERI.
PRINCIPI. CORPORIS. NOSTRI. PARTI.
GRATO. ANIMÆ. VITÆQUE. SOLIO.
SUMMO. CALIDI. INNATI. THRONO.
IUCUNDO. SPIRITVS. VITALIS. ARCHITECTO.
LIMPIDO. GRATIOSI. LIQUORIS. FONTI.
VERO. VASORVM. SANGVIDVCORVM. PRINCIPIO.
VNICÆQUE. SANGVINIS. OFFICINÆ.
ET.

HONORVM. CORDIS. VINDICI. INCOMPARABILI.
PRIMOQ;. VASORVM. LYMPHATICORVM. INVENTORI.
THOMÆ. BARTHOLINO.

PROFESSORI. REGIO.

ANATOMICORVM. PRINCIPI.

CVIVS. DVCTV. AVSPICIISQUE.

HEPAR.

SANGVIFICATIONIS. LAVDEM.

QVAM. PER. BIS. OCTO. SECVLA. OBTINVERAT.

CORDIQUE. INIVSTE. ERIPVERAT.

DEPOSVIT.

CORDI. REDDIDIT.

ET. IN. PERPETVVM. EIVS. IVS. ITERVM. CONCESSIT.

TABVLAM. HANC. TRIVMPHALEM.

HVMILI. ANIMO. DICANT.

INQVE. SEMPITERNAM. REI. BENE. GESTÆ. MEMORIAM.

DEVOTA. MANV. AFFIGVNT. VERITATIS.

CLIENTES.

INTERPRETE.

GEORGIO. SEGERO, THORVNENSI.

FRONTIS PAGES
GALILEI
SYMMON
LXXV
VNICARV
ET
MONIVM
BRIMO
THOMAS
ANATOLI
OVIVS
SAR
GVA
CORDI
DEPOSIT
CORDI
ET IN
MILLI
LIGVE
DENOTA
CLIENTE
IMPERI
GEORGIO





THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1207 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
U.S.A.
COTTON
PAPER
MADE IN U.S.A.



3

QUERIMONIA
NOBILISSIMI VISCERIS
CORDIS;

QUERIMONIAE HEPATIS,

AUTORE

JOANNE RIOLANO

Ad Medicos Parisienses

habita,

OPPOSITA:

INTERPRETE

GEORGIO SEGERO, THORUNENSI,
Philos. & Medico.

BASILEAE,

Apud JOANNEM KONIG, Anno 1661.



SUMMIS

Saluberrima Artis

PROCELIBUS,

DN. D. ANTONIO DEUSINGIO,
Medicinæ in alma Groningensium Universitate
Antecessori Gravissimo.

DN. D. ALBERTO HUSWEDELIO,
Potentiss. Sveciæ Regis Archiatro, & inclytæ Rei-
publ. Hamburgensis Proto-Physico Experientis-
simo.

DN. D. JOELI LANGELOTIO,
Sereniss. Celsissimiq; Holsatiæ Principis Archiatro
Amplissimo.

DN. D. LUCAE SCHRÖCKIO,
Inclytæ Reipubl. Augustanæ Medico Ordinario
Jurato, Collegijque Medici Assessori Gravissimo.

DN. D. MICHAELI KIRSTENIO,
Medico apud Hamburgenses Excellentissimo, ibi-
demque nuper Matheleos jam Physices Prof. Pu-
blico Clarissimo.

DN. D. MARTINO BOGDANO,
Facult. Medicæ apud Basilienses Assessori, & Peril-
lustris Reipubl. Bernensis Physico Dignissimo.

FAUTORIBUS AC AMICIS

suis Gravissimis

hanc

CORDIS QUERIMONIAM

Devoto Corde

Dicat

A U T O R

PROSOPOPOEIA.

^{quā}
C O R

Antiquissimus Corporis nostri Rector
Carminē Antequo, Attellano, Osco, Casco, (*)

Fortunæ suæ inconstantiam

deplorans

(*) vid Jacobi
Baldi Poësie
Osca.

Pro recepto tandem feliciter scepro

HONORIS SUI

vindicibus

BARTHOLINO & SEGERO

Osca.

gratias exsolvit.

Romana.

Ningulis uruaru' (*) loctis
Sispes fruiscebar quie:

Andruans, redandruansq;

Assir facul plebat cavas

Corposis bulgas: homones

Hilari fuebant saniter.

Ast o! fortunai plerum

In arritatem nitiditas

Vortitur: nam topper aufit

Jecinus, quiesce non quitum,

Amptuare, miq̄ue honorem

Assiriandi rapere,

Et per axatos catosque

Friguttiit multesima:

Nenu bulgas nauscere ex me

Ruidas, nu pulsatiles:

Nenu me potesse traxe

Patore lactem nœgeum.

Hibus ips aliura jonxit,

Ut me exflaret infulâ.

Succrotilla petilisque

Hæc miseritudo primitur,

Tamde gliscens surrimebat

Magmenta postideâ ampliter,

(*)s per
apost.
abjectū
est: olim
n. COR
in gen.
masc. ef-
ferebāt.

Nullis circumdarum luctibus

Sospes fruebar quiete:

Means & remeans

Sanguis facile implebat cavas

Corporis capacitates: homines

Hilares erant sanè.

Ast o! fortunæ plerunq̄ue

In nigredinem nitor

Vertitur: nam citò ausum est

Jecur, quiescere non potens,

Motûs ciere, mihiq̄ue honorem

Sanguinem conficiendi rapere,

Et per celebres sapientesq; (viros)

Subriliter plurima protulit:

Nec capacitates nasci ex me

Rubras, non pulsatiles (venas)

Nec me posse traxisse

Apertâ viâ lac candidum. (chylū)

His ipsum (jecur) alia junxit,

Ut me exsueret infulâ.

Exigua tenuisque

Hæc miseria primò,

Tam crescens sumebat

Majora augmenta postea amplè,

A 2

Vt Ma

Ut manus dandum, & simultè
Molta paterem nequalia,
Donicum dubianda concta
Et septuosa emussitans
Daniai gnobilis flos
BARTHLINUS exgregiissimus
Illatebraret se in hæcce,
Ruspansque plexa sedolo,
Endovestigansq; vasum,
Remantis aquæ caprunculum,
Albidum speceret fluorem
Sirpare sollum vorfu' me.
Heic malitermo fuebat.
Tempeustus heic & oximus
Sibus, & superans faculter
Clivia SEGERUS glittaque,
Cillit os, planatque vera-
rum, plauda non obacerans,
Insola evannatque porrò,
Evelat atque momina.
Simpulatrix sagiens tum
Mens jecinoris mortes suas,
Strenuatque advorsus, obstrin-
gillatque per bignos VIROS
RIOLANUM BILSIUMQUE,
Quorum returarunt tamen
BARTHOLINUS & SEGERUS
Endofidias pesnâ clutâ.
Corgo stempus est flocusque,
Opibus meis ut antroëm
BARTHOLINO, ut & SEGERO,
Laudeisque sublimem Virum,
Qui meæ dulcâre vitæ
Ablegmen. Hi bigni fiant
Absque solato, absque questu,
Hibusque concti faminent
Horcta, forcta, clucidata,
Quos sol specit circanius.

Ut manus danda, & simul
Multa paterer detrimenta,
Donec dubia cuncta
Et obscura ad amussim expediës,
Daniæ nobilis flos
BARTHOLINUS maximè egregius
Penetraret in hæcce,
Scrutansque perplexa sine dolo,
Investigansque vas (vasa) (ptaculû,
Remeantis aquæ (lymphæ) rece-
Album videret fluxum (chylum)
Exundare rotum versus me.
Hic mali terminus erat.
Tempeustus hîc & ocius
Acutus, & superans facile
Ardua SEGERUS minutaque,
Movet os, explanatque veritatem,
Flaccida (sine fundam.) non oblo-
Insolita eventilatq; porrò, (quens,
Patefacit atq; momenta (causas.)
Divinatoria prælagiens tum
Mens jecoris funera sua,
Strenuè se opponit adversum,
Repugnatque per binos VIROS
RIOLANUM, BILSIUMQUE,
Quorum detexerunt tamen
BARTHOLINUS & SEGERUS
Insidias pennâ inclytâ.
Ergo tempus est locusque, (gam,
Auxiliatoribus meis ut gratias a-
BARTHOLINO, ut & SEGERO,
Laudesq; in altum efferam Viro-
Qui meæ sublevarunt vitæ (rum,
Reliquias. Hi bini sint
Absque morbo, absque questu,
Hisque cuncti dicant
Felicia, fausta, & jucunda auditu,
Quos sol aspicit circumiens.

CÆSO GRAMM TONNINGENSIS. Lib. Art. Mag. f.

QVERIMONIA

C O R D I S.



Statvus jam vertitur annus, ex quo ingratum meum & perjurum subditum Hepar, publicâ, eaque totali clade, paulò ante à Duce meo, Celeberrimo *Th. Bartholino*, superatum, prostratum, funeratum, nescio quibus artificiis resuscitare conatus est Senex Gravissimus *Joannes Riolanus*, Anatomicus Parisiensis Percelebris. Is enim jecoris patrocinium tum in se suscepit, & ut illi tyrannidem pristinam restitueret, omnem lapidem movit, quodque quàm maximè dolendum, lacerantem insuper ac cruentantem Querimoniam nomine Hepatis confecit & divulgavit. Ego quamvis, mox per per Patronos meos aliam Querimoniam, Hepatis Querimoniam oppositam adornaverim, cum haud vanus me subierit timor, fore ex medicis quosdam, qui vel phalaris & sesquipedalibus *Riolani* verbis, vel autoritate tanti Cognitoris commoti, spretâ oculari demonstratione, calculum Hepati addituri sint album; nolui tamen eandem publicæ luci exponere, æquitati judicium, & justitiæ causæ rem omnem committens. Nec sanè quicquam porrò tentâssem, nisi nuper in Bataviâ Nobilissimus *Ludovicus de Bils* hepatis sepulti resuscitationem toti orbi li-

(c) in Spicil.
2. ex val.
Lymph. c. 7.
p. 11. seq.

terato magno itidem ausu promississet. Cujus promissi
vanitatem quamvis non ita pridem eleganter demon-
straverit *Bartholinus Meus** placuit tamen conceptam o-
lim Querimoniam meam Riolanianæ oppositam, jam
promulgare, cum ut existimationi ac dignitati meæ con-
sulerem, tum ut demonstrarem, quam malè, Hepar in
memoratâ Querimoniâ suâ Principatum, Primogenitu-
ram, aliosque meos honores, quibus benigna rerum na-
tura me ab ipsis mundi incunabulis affecit, in primis ve-
rò Sanguificationis gloriam, mihi eripere, sibi que ven-
dicare tentaverit.

I. Ut verò à capite, quod dicitur, ordiar. Certè nimis
astutè iniquum hoc Viscus Querimoniam suam ad Me-
dicos Parisienses, viros verè Percelebres, orditur, dum
ita orditur: *Non vos latet, quamplures nondum exanimis ad
funus elatos revixisse, & conquestos fuisse de impiâ corporum
funeratione.* Incipit nimirum ex abrupto, ut videatur si-
mile illorum, qui summâ injuriâ affecti, præ nimio mo-
rore verba vix facere possunt, atque ita rem suam brevi-
ter proponunt. Hinc ut eò magis Iudices commoveat,
benevolentiam eorum captare tentat, dum multiscien-
tiam illorum, quam tamen nemo sapiens adhuc iis dene-
gavit, in citatis verbis mox in frontispicio extollit. Lau-
dandum sanè esset visceris hujus institutum, nisi his ver-
bis *non vos latet* astutiam solùm suam occultasset. Pro-
ducam autem anguem hic latentem. *Non vos latet*, inquit,
idque ideò, ne exempla eorum, qui nondum exanimis
funerati sunt, adducere cogatur. Hi enim quia ex func-
rantis mente æstinandi sunt, licet nonnunquam revivif-
cant, & de funeratione suâ conquerantur, non tamen ita
temerè omnes pro innocentibus habendi sunt.

II. Ut asserti nostri vis melius, quam jecorarii pateat,
distin.

QUERIMONIA CORDIS. 7

distinguiamus inter illos, qui justè, & illos, qui injustè funerati sunt. Justè funerati iterum vel morte naturali, vel violentâ abrepti sepulturæ sunt illati. Qui sanè omnes si paucos illos miraculosè in sacris literis excitatos, aut etiam illusiones diabolicas, speciem defuncti in corpore phantastico interdum repræsentantes, aut fabulas excipiamus, nunquam revixerunt. Et licet exempla præsto sint eorum qui laquei supplicio affecti, & post aliquot horas rigidi planè theatris anatomicis illati, vitam recipere visi sunt, qualia exempla *Riolanus*, (a) *Bartholinus* (b) aliique referunt, & imprimis de *Anna Greene* Anglicanæ (cujus historiam, addito elegantissimo discursu, *Exercitationi sua* eruditissimæ *de loco Affecto in Apoplexia* (*) inseruit *Cl. Wepferus*) nostra suppeditat memoria: non tamen hos verè revixisse quis dicet, cum eorum anima à corpore nondum decesserit, sed in eo adhuc delituerit, & solum ob instrumenta aut frigore externo, aut consternatione nimia, aut aliâ aliquâ de causâ ad actiones idonea planè reddita, actiones suas debito modo perficere non potuerint. Rectissimè igitur *Poëta Lyricus L. Manlium Torquatium* ita allocutus est:

*Quum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,*

*Non, Torquate genus, non te sacundia, non te
Restituet pietas.*

*Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;*

*Nec Lethæa valet Theseus abrumpere charæ
Vincula Perithoo.*

Injustè autem funerati supremum officium antè tempus reportarunt, aut ob suorum malitiam (quod de *Zenone Imperatore* ex *Zonara* & *Cedreno Cluverus* (c) refert, qui sive acutiore morbo sive ebrietate nimia exanimatus,

(a) *Anthrop.*
l. 1. c. 18. p. 60.

(b) *Barth. de*
vasis Lymph.
in Brutis. c. 4.

P. 27.

(*) p. 181.

(c) *Cluv. E-*
pit. Hist. in
vitâ Zeno-
nis p. 368. a-
cum ex Zonara.

rom. 3. & Ce-
dreni p. 291.

(d) Hist. Nat.
l. 7. c. 52. p. 335.

(e) De reme-
dicâ l. 10. c. 9.
in fine.

(f) l. 23. c. 46. &
l. 24. c. 19.

(g) Obs. Med.
C. 2. obs. 86. &
87.

(h) Differ. Iu-
ris Civ. &
Can. in qua;
Sepeliri de-
bet Archie-
pisc. & c. p.
437.

(i) Cent. 2.
obs. 95.

cum concidisset, *Ariadnae* uxoris iussu in sepulchrum illa-
tus, nec licet recepto sensu lamentabiliter vociferaretur,
dimissus, interiit;) aut ob suorum incuriam, qui ægro-
tos, graviore morbo aut sopore profundiore oppressos,
nimis festinato funere sepulturæ tradiderunt. Sic aliquot
elatos in rogo revixisse refert *Plinius*. (d) Sic mulieres
nonnullas hystericas pro mortuis habitas, & foveæ dica-
tas, cessante paroxismo vitam recepisse memorant *Ale-*
xander Benedictus, (e) *Pareus*, (f) *Salmuthus*, (g) aliique. I-
dem quoque ecstasticis, apoplecticis & similibus morbis
correptis interdum contigisse legimus. Nec immunes sunt
à properatâ sepulturâ illi, quos exitialis illa lues, quam
pestem vocant, invasit. Tale exemplum de matronâ
quadam, grassante *Coloniæ* anno 1357. peste nimis festi-
nato funere sepultâ, & ab avaro vespillone refossâ ac
exsuscitatâ, ex *Harphrecht* refert Gravissimus *J. C. tus Jaco-*
bis Brandmüllerus. (h) Quam eandem historiam, (præ-
missâ ferè simili) etiam recenset Incomparabilis *Hilda-*
nus, (i) qui eam ad rei memoriam in tabulâ maximâ, su-
pra sepulchrum dictæ matronæ, *Reichmuth Adolch* voca-
tæ, erectâ, eleganter depictam, versibusque Germani-
cis descriptam, multoties non sine admiratione inspexit;
tabulamque illam, in parva forma ex ære incisam & ex-
cusam, penes se habuit. Quicquid sit, revixerint quàm-
vis humati quidam, illi tamen solum, qui injustè funera-
ti fuerunt, de impiâ corporum funeratione jure conquere-
ri potuerunt; illi verò qui ex decreto Magistratus ob fa-
cinora sua morti addicti, forte fortuna non perierunt,
(quibus etiam *Hepar annumerandum*) an de impiâ cor-
porum funeratione jure conqueri potuerint, judicent
Viri summi.

III.

Postquàm autem ita ingeniosè exigua prælocutus
est

est Antagonista meus, pergit, & paucis lineolis statum controversiæ proponit, præmissâ prius gravi in Cl. Pecquetum ejusque asseclas invectiva, illum *temerarium & imprudentem judicem*, hos verò *facinoris Pecquetiani fautores & sivejussores* vocando. Dura sane verba! Cum enim, ita pronuncianteloquentissimo veterum Romanorum Consule Tullio, *nihil sit temeritate turpius, nec quicquam tam indignum sapientis gravitate atq; constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine ulla cogitatione defendere*: maxima sanè ignominiâ Cl. Pecquetum, reliquosque meos Patronos afficit Hepar, dum eos temerarios & imprudentes nimis & temerè, ne dicam iniquè & infideliter, vocat.

Ne citra veritatem hæc dixisse videar, repetam verba, quibus judicium Pecquetianum exprimit. Sunt autem hæc: *Hepar inutile & ignobile membrum è corpore rescindendum, suâ dignitate & potestate sanguificandi spoliandum, ab Adamo nato usque ad hunc diem homines fraudulento officio decepisse, ac proinde exterminandum, & oblivione perpetuâ sepeliendum, vel ad vile ministerium sordes biliosas colligendi relegandum ac destinandum, ne deinceps pro parte principe reputetur*. Et hoc judicium Cl. Bartholinum, Anatomicum Hafniensem, confirmâsse, ibidè tradit. Verùm quàm iniquè hæc omnia utrique ascribantur, facilè observabit is, qui utriusque scripta vel per transfennam tantùm inspexerit.

Hoc enim dicit Pecquetus: (l) *Hactenus à mesenterio chylum in Hepatis parenchyma opinio protrusit, non veritas, & sanguinei artificii tribuit immeritam nato ad alia visceri prerogativam*. Et alibi, (m) *Hepar immeritò per tot usurpatam secula retinuisse αἵματός εως gloriam*, ait. Nihil verò hic de inutilitate, nihil de extirpatione hujus visceris. Imò tantùm

B

abest,

IV.

V.

(l) Experim. Anat. c. 5. p. 13. edit ult. Paris.

(m) Dissert. Anat. de circul. sang. & chyli motu c. 12. p. 87.

(n) L. cit.

abest, ut Hepar inutile membrum vocet, ut potius (n) equum iudicet, Hepati id assignare munus, cui creatum est, in prima, ut ayunt, regionis officinâ. Hinc triplex ei assignat of-

(o) L. cit.

ficiam, (o) quorum primum est, ut vicem pistilli agens, subiectasq; in infimo ventre partes, respirationis motu percurrens, non solum chymum è ventriculo per pylorum in intestina secedere adigat, sed & eorundem distendat poros, illacq; subtilissimam alimenti substantiam in lacteas impellat. Alterum est, Ut ingenti, quod accipit à Porta, sanguinis profusio, calorem in ciborum elixationem ventriculo subministraret. Tertium est, ut sanguinem ipsum idoneo transcolet parenchymate, admixtaq; bilis expediat consortio. Et quidem postremum hoc precipuum

(p) L. cit. p. 89.

esse jecinoris in animalibus officium paulo post (p) tradit. Non igitur Hepar è corpore rescindendum, exterminandumque esse dixit Pecquetus, sed potius eidem insignes assignavit usus. Quamvis enim hos usus, & in primis bilis segregationem, vile ministerium hic vocet jecur, rectius tamen sentit maximi nominis Anatomicus Rolfincius, qui (q) hos usus, licet minoris primâ fronte appareant eminentia, magnâ tamen in vite ratione potestatem habere egregiè demonstrat.

(q) Dissert. de Hepate. c. 8.

VI.

Sed & Cl. Bartholinus sinistri quicquam de Hepate, nisi laudes perverso nomine vituperia vocare velimus, ne somniavit quidem. Magnis namque Viris etiam jam prostratum hepar comparat, (r) qui onus Reip. cum laude & plurimorum emolumento sustinuerunt. Hinc dolet ejus vicem, bonoq; animo esse jubet. Et quia bili separanda in posterum primariò ablegatur, hanc ut non in se, everso imperii & principatus authorem evomat, sed in superos, in Cometam tum visum, in Naturam, & in Pecquetianos, petit. Imò ne sine publico monumento tot seculorum abdominis Rector ignotus busto inferatur, in perpetuam bene feliciterq; per bis octo secula administrati cruenti imperii memoriam, lugubrem ultima devotionis inscriptionem

(r) de vas. Lymph. in brutis. c. 8. p. 55. edit. Hafn. p. 56. p. 57.

p. 58.

scriptionem tumulo illius consecrat. Quæ eadem laudes & in reliquis ejus leguntur scriptis; in primis *in dubiis de Lacteis*, ubi inter alia expressè hæc profert verba: (t) *Optarem sanè* (t) cap. 5. p. 11. 34. edit. Hafn. *causam illius (de jecinore sermo) labantem aliquo fulcro posse suffulciri, propter antiqua in rem Medicam merita, nam sinistrum tanti visceris fatum madidis oculis intueor.* Verùm, quid opus est ulteriori probatione? Verbo dicam. Quod si Cl. *Bartholinum* jecur inutile esse membrum, è corpore rescindendum &c. dixisse demonstraverit Hepar, *αἰματώσεως* laudem in perpetuum ei concedam, ejusque imperio me in posterum ultro citroque submittam.

Verùm neque ea ferre possum, quibus Hepar injuriosum, pro more suo, Singulare illud Universitatis Parisiensis Decus *Jac. Mentelium*, primum Receptaculi chylosi Detectorem, suspectum reddere conatur. Viderat summus iste Naturæ Mystra, monstrante Cl. *Pecquero*, chylum ex Receptaculo, seu interludio, jam longè ante à se observato & demonstrato, non ad Hepar, sed ad cor per lacteas thoracicas derivari, quare Naturam veneraturus, Felicissimo *Pecquero* in epistolâ quadam de tanto Inven- (u) dat. Eid. febr. 1651. to gratulatur, (u) & ut veritati porrò quoque litaret, hortatur. Hæc cum invidum jecur concoquere non possêt, ut antea *Pecquetum* & *Bartholinum*, sic porrò etiam *Mentelium* & temeritatis arguit, & falsi judicii. *Alter* (inquit Hepar) *Parisiensis Doctor*, quia *Patritius*, audacter restatur, in *Pecquetum* *Aristotelis* animum migrâsse, ut me condemnaret sine accusatore. Proh Deûm atque hominum fidem! Hoccine est grande illud facinus, ob quod ne nominari quidem meritis est *Mentelius*? Hoccine est ingens illud delictum, ob quod temerarius audit *Mentelius*? Absit. Ego, qui Virum Summum nunquam sine reverentiâ nomino, non temerarii, sed verè fortis Herois titulo & eum



decorandum esse cenleo. Neque enim inconsultâ ratione, nec sine præviâ cognitione, (quod utrunque temerarii est) inventum *Pecquetianum* approbavit. Nam quæ *Pecqueto* novè monstrante viderit, in citatâ epistolâ explicat, in qua etiam, cur Aristotelis animum in *Pecquetum* migrâsse credat, apertè monstrat, quia scilicet *Pecquetus sensu ac ratione probavit, vegetationis officinam & sanguinis promum condum Cor esse.* Sed & sine accusatore non condemnavit *Hepar Cl. Mentelius.* Actionem hepatis intenderat natura, dicam ei scripserat veritas, crimen ei objectaverat *Pecquetus*, horum omnium justas querelas cognoscens integerrimus iudex *Mentelius*, condemnavit quidem hepar, sed ita, ut arbitri potius, quam iudicis officio sit functus; utpote qui hepar non ut inutile & ignobile membrum è corpore rescindendum decreverit, sed potius hoc ei ex officio injunxerit, *ut ventriculum ad εψησιυ ciborum, quos deglutimus, suo velut complexu atq; amico calore juvet; præcipue verò secretum è sanguine, ad se per jecoris portas transmissio, biliosum acrem humorem in substratam sibi vesiculam exspuat: accū Natura res postulat, eundem per meatum χολήδοχον, aut illum, qui quod in hepate radices agat, à Recentioribus vocatus Hepaticus, ad intestina deponat.* Sed ad reliqua.

IIX.

Postquàm ita falsâ suâ relatione hepar benevolentiam iudicum captavit, accuratissimosque Naturæ Scrutatores fictâ temeritate turpiter infamavit, pergit, & imaginaria sua officia serie prolixa recenset; quæ cuncta ad sequentia quatuor capita referri possunt. Ostendit enim & sparsim multis probat, se esse 1. principem corporis humani partem; 2. viscerum originem; 3. membrum primogenitum; & 4. sanguinis officinam. Hæc sunt, quæ à condito homine huc usque, ita volente Creatore Summo, jure à me possessa hepar mihi eripuit, erepta sibi attribuit,

tribuit, attributa ut reservare posset, omnibus modis contendit. Sed utut contrarium in *Triumpho* meo, primùm *Hafniae* erecto, jam *Basilea* repetito, satis superque sit demonstratum, placet tamen ad ea, quæ hepar in Querimoniâ suâ pro singulorum probatione exponit, brevitate eâ, quâ decet & convenit, respondere, ne astutis suis verbis fucum faciat iectoribus.

Et quidem quod attinet Principatum, eum sibi hepar his attribuit verbis: *Omniùm Medicorùm & Aruspicum confessione sum caput Extorum, naturalis facultatis sedes.* Quasi verò quæ superstitiosi Aruspices crediderunt, & Rationales Medici credere debeant. Addit quidem jecur, quod & omnium Medicorùm confessione sit caput Extorum, sed minùs verè. Quamvis enim non omnes, major tamen Medicorùm pars me semper pro principe habuit parte. Longum nimis foret, imò & supervacaneum, singulorum adducere verba, sufficiat nobis unus aut alter locus, ex ipsis Medicorùm Principibus, *Hippocrate* & *Galeno* depromptus.

Hippocrates, licet pro more suo, partium principatum non adeò manifestè exprimat, attamen in aureis suis scriptis hinc inde tantos protrudit flosculos, è quibus faniori inductione colligere licet, quàm egregie mihi partium principatum deferat. Sic in libello de *Corde*, de thalamis meis sermonem instituens, eos expressè humanæ naturæ Fontes vocat, homini quæ vitam conferre scribit; imò in meâ incolumitate totius hominis salutem positam esse, clarissimis testatur verbis. Audiamus Senem Gravissimum. *Hi sunt*, inquit, (x) *humana natura Fontes, hincq; flu-* (x)p.269.l.21.

B 3 mina

(*) Αὐτὰ πηγὰὶ φύσις ἀνθρώπου. Καὶ οἱ ποταμοὶ ἐν αὐτῷ ἀνατὰ τὸ σῶμα πῶσιν ἀρδεταὶ τὸ σκῆν. ἔστι ἡ ζωὴν φέρει τῷ ἀνθρώπῳ, κὴν ἀνατὰ τὸ σῶμα, ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων.

IX.

X.

mina excurrunt, quibus corporis abveus irrigatur. Atq; hæc vitam homini conferunt, & si resiccata fuerint, homo perit. Ita

(y) p. 269. lin. ult.

quoque paulò post, (y) Animam humanam in sinistro meo ventriculo à natura insitam esse, ingenuè monet. Et alibi

(z) de Carn. p. 250. l. 30.
(a) de vict. rat. c. 7. p. 344. l. 32.

(z) me etiam ignis illius, qui juxta eundem (a) omnia, quæ sunt in corpore, suo modo disponit, fontem constituit, dum me omnium, quæ in homine sunt, membrorum maximè calidum esse dicit. Quæ (ut jam taceam alia) cum de hepate

(b) Comm. in L. I. de Dixta. c. 7. parte ult. p. 411.

nunquam pronunciârit Divinus Senex, meritò calculum illius album mihi soli adjudicandum, etiam ad stipulante Verissimo illo Hippocratis Genio, Theodoro Zuingero, (b) æquitas poscit.

XI.

Multò minus mihi denegandus est candidus Galeni lapillus. Summus namque iste post Hippocratem Medicinæ Princeps me non tantùm apertè caloris nativi, quo animal regitur, quasi fontem quendam ac focum seu asylum nominat, (c) sed & quod quàm maximè notandum, ingenuè fatetur, (d) quod omnis mea pars principatum teneat, quodque nulla in me particula reperiat, quæ non omnium aliarum corporis partium sit præstantissima, cum omnes sint eximie & principes. Certè, vel sola hæc Galenica verba summi Viri assensum adeò manifestè exprimunt, ut plura coacerva-

(c) de usu part. l. 6. c. 7. cl. i. f. 150. B.
(d) L. cit.

(y) Γνώμη γάρ ἡ τῆς ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν λαίῃ κοιλίῃ.

(z) ἡ καρδίη θερμὴ ἐξοὶ μάλιστα τῶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.

(a) Πάντα διεκρομήσατο μὲν τρόπον αὐτῷ ἑωυτῆ, τὰ ἐν σώματι τὸ πῦρ.

(c) ἡ καρδία τῆς ἐμφύτης θερμασίης, ἢ διοικεῖται τὸ ζῶον, οἷον ἐστὶ τίς ἐστὶ καὶ πηγὴ.

(d) Πάν μὲν ἀν' ἔτω μίερον καρδίης εἶη κύριον. ἔ γὰρ αὐτὸ εὐροῖς ἔτ' ἄλλο ποῖστον ἔδεν ἐν καρδίᾳ μόριον, ὡς μὴ πάντων, εἰ τύχοι τῶν ἐν τῷ σώματι κυριώτατον ὑπάρχειν, κυρίων ἀπάντων ὄντων.

cervare velle, exsuperantiæ crimen post se trahere videatur.

Patet etenim abundè jam fatis, quam malè Hepar se XII.
omnium Medicorum confessione caput Extorum esse ja-
ctaverit, cum contrarios habeat summos Artis Condi-
tores: imò & ipsum suum *Riolanum*; utpote qui me ex-
pressè (e) *nobilissimam totius corporis partem, humaniq; cor-*
poris Solem vocat, & ideò demonstrat, quod inter partes
corporis nulla deprehendatur, tanto artificio, tanto que
apparatu exornata, sicuti Ego.

(e) Antroph.
1.3. c.12. p. 232.

Adjunxit igitur Medicos Aruspibus Hepar, non XIII.
nisi, ut apparet, eo fine, ut his pondus addat, Medicosque
in sua castra alliciat. Quare sicut horum consensum vano
sibi arrogasse ausu mihi gratulor; ita contra illorum ap-
plausus nihil omninò me moratur, cum Aruspicum in
re Medicâ non sit ea autoritas, ut pro lubitu de principa-
tu viscerum decernere possint, utpote qui tantùm super-
stitiosis suis nugis inhiantes, de vero singulorum visce-
rum usu parùm erant solliciti, ne dicam, quod eam planè
ignorarent; hinc formosâ tantum hepatis facie allecti, ei
principatum detulerunt. Similes sanè pueris, qui ex vesti-
tu solùm, non verò aliis etiam circumstantiis, de quibus-
vis judicium consueverunt ferre.

Miror autem Aruspibus Hepar non addidisse quo- XIV.
que coquos, laniones, gulosos, familiaque abdomina in-
faturabilia, cum notum sit, quanto in honore hi homines
viscus istud habeant, non quia me majora officia præstat
vivi, sed quia majora & plura iis suppeditat frustra, ven-
tri que natos me citius fatiat.

Sit ergò Hepar omnium Aruspicum confessione ca- XV.
put extorum: imò concedam ei & hoc nunc, quod olim
se fuisse gloriatur, dum circa finem inquit: *Olim in A-*
ruspici-

ruspiciâ extispicii prima pars semper fuit Hepar; sit scilicet & nunc in Aruspiciâ extispicii prima pars: quia tamen omnium Medicorum, in primis Principum applausu eget, quem tantum hîc desideramus, cum principatu suo meritò ad infima subsellia rejicitur.

XVI

Conatur quidem principatum eò magis stabilire, dum se *sedem naturalis facultatis* esse plenis buccis extollit. Verùm frigido nimis leviq̄ue argumento. Nam, sit Hepar sedes facultatis naturalis; Quid verò inde sequetur? esse jecur me nobilius viscus? Nullo modo. Quod si enim facultas Vitalis nobilior est naturali, utiq; & viscus illud, in quo residet facultas vitalis, nobilior erit illo, in quo dominatur naturalis. Quis verò Medicorum hunc honorem mihi denegavit, ut me sedem facultatis Vitalis esse renuerit? Nemo sanè. Ipse quoque *Riolanus*, summus aliàs Hepatis Patronus, id fatetur, (f) dum me expressè *facultatis & spiritus vitalis fontem* nominat. Aliorum autem testimonia non adducam, ne vino, quod dicitur, vendibili hederam suspendere, & rem alioquin satis notam inutili illustratione tædiosam potius reddere videar.

() L.cit.

XVII.

Pari quoque ratione confutantur & reliqua verba, quibus paulò post Principatum suum adhuc magis confirmare conatur, dum inquit: *Ex me sanitas & integritas partium corporis dependet; Si vita homini contingit optima, Fecoris virtuti tribuenda est; ut hepar valet, ita reliquum corpus; ut mihi malè affecto succurratur, mea incommoda in facie patefacio, & cordi communico. Qualis color Hepatis, talis in vultu efflorescit, quin etiam vultus index & internuncius est meæ egritudinis.* Fateor sanè, hæc verba magni esse momenti, cum in paucis istis lineolis plurima media lateant, quæ principatum ejus affirmare videntur.

Verum

Verum saluares est. *Dependere ex hepate sanitatem & integritatem partium corporis*, nemo, ut opinor, negabit. Quod verò ex *solo* Hepate ea dependeat, probare, hic labor est. Nego namque, imo constanter nego, ex sola hepate sanitatem partium corporis dependere, cum omnium Medicorum consensu non tantum jecur, sed & reliqua viscera ad sanitatem hominis constituendam concurrere debeant; Neque is proprie sanus dicatur, cujus vel minimum viscus laborat, nisi sanitatis vocabulum a deò latè extendere velimus, ut non tantum revera sanos, sed & eos, qui licet ægrotent, quia tamen munus suum aliquo modo obire possunt, ideò sani audiunt, sub impropria suâ significatione comprehendat.

XIIX.

Simili modo non negamus, *Vitam hominis optimam jecoris virtuti tribuendam esse, & ut Hepar, ita reliquum quoque corpus valere.* An verò & hæc de solo jecore dici possint, judicent omnes Medici, in primis ii, quibus experientia practica majorem in ægritudinibus viscerum notitiam conciliavit. Quid quæso Febris? annon morbus Cordis? Jam verò dicere ausim, solius febris tot esse species, quot sunt morbi Hepatis. Taceo reliquas tam meas, quam cerebri, lienis, ventriculi, & cæterorum viscerum ægritudines.

XIX.

Prætereà, si in mustaceo isto laureolam quærere volupe esset, mihi potius hunc honorem deferendum esse, vel exinde demonstrare possem, quod reliquis visceribus omnibus corruptis, tamdiu tamen vivat homo, quamdiu mihi salvum & incolume esse contingit. Non repetam jam ea, quæ ex Observationibus Cl. Virorum in *Triumpho* mihi erecto sunt notata; Vixisse scilicet quosdam læso, imò absente uno ex reliquis visceribus, atque ita etiam Hepate, neminem verò, ne quidem læso

XX.

C

tantum

tantum corde, supervixisse. Ut ita majori jure de me ipso gloriari possem, mihi soli sanitatem hominisque vitam tribuendam esse. Verum pergamus in jecinoris verborum examine.

XXI.

Ut mihi, pergit, male affecto succuratur, mea incommoda in facie patefacio, & cordi communico. Hæc ferrea mœnia! Hepar affectus suos in facie exponit, ergo est pars princeps. Sed & ego incommoda mea in facie patefacio, idem faciunt, & cerebrum & pulmones & lien, & reliqua viscera. Ergo omnia erimus partes principes. In Lipothymia eamque succedente syncope, in quibus ego primario afficior, facies nimio pallore perfunditur. In febribus ex colore faciei livido, me malignitate dictarum febrium infestari judicant Practici. In intemperie cerebri calida facies & oculi solito rubicundiores apparent; in frigida vero pallore deformantur. Pulmonibus à naturali statu & colore ad præternaturalem & lividiorem recedentibus, faciei quoque colorem lividiorem apparere, nemini non notum. Ita quoque, si tota facies inflammata sit, totum quoque pulmonem inflammatum esse, censent periti. Sic Liene affecto non solum faciem, sed & totum corpus colore malicorio simili, plumbeoque defoedari olim jam docuit *Hippocrates*. (h) Adderem hæc & icterum nigrum, nisi hujus primariam sedem lienem esse negarent Optimi quidam Medici, & ex his imprimis Princeps ille Practicorum Felicissimus *Felix Platerus*. (i) Plura non addo. Sufficit demonstrasse, faciem esse speculum illud, in quo non tantum hepatis, sed & aliorum viscerum læsiones representantur. Quod pro more suo observans summum illud veritatis tribunal *Hippocrates*, faciem cadaverosam, ex morbis lethalibus, diversas corporis partes excruciantibus, oriundam, quam ab hoc Autore sumpto

cogno-

(h) de intern. affect. p. 549. l. ult. & pag. 110. 17.

(i) Prax. med. T. 3. c. 2. col. 39.

cognominie, Hippocraticam vulgò vocant, ita depinxit:
 (k) *Nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures frigida
 & contracta, imisq; suis fibris inverse, cutis circa frontem dura,
 intenta & resiccata, & totius faciei color ex viridi pallescens, aut
 etiam niger, aut lividus, aut plumbeus.*

(k) Prænot.
 p. 36. l. 31. &
 Coac. Prænot.
 aph. 212. p.
 152. C.

Verùm, ut dolos hîc quoque à jecinore consutos dis-
 solvamus, obiter monemus, non semper hepate malè af-
 fecto indicia apparere in facie; dantur enim etiam in-
 commoda quædam hepatis, quorum nulla in facie ob-
 servantur vestigia. Ita in dolore hepatis ex flatibus orto,
colorem corporis & faciei non mutari, expressè scribit Cele-
 berrimus Sennertus. (l) idem nec in hepatis inflatione ac-
 cidere, alibi (m) iisdem docet verbis.

XXII.

(l) lib. 5.
 Pract. part. 6.
 c. 2. c. 6. p. 777.

Verùm quia vanum inde pro Principatu argumen-
 tum emergit, largiamur hepati, quod incommoda sua in
 facie patefaciat. Imò & hoc, quod sua incommoda mihi
 quoque communicet. Modò posterius eâ tantùm ratio-
 ne fieri credatur, quâ servus malè affectus, officium suum
 deserens, Domino incommoda sua communicat. Aliàs
 enim, si cuncta probe ponderentur, patebit, quod ego
 potius incommoda mea omnia hepati communicem,
 neque tantùm hepati, sed & omnibus reliquis visceribus.
 Possem hæc, quæ protuli, uberrimis probare exemplis,
 & quomodo me languente mox totum quoque corpus
 langueat, abundè satis demonstrare; verùm quia vel so-
 la rei ipsius evidentia pro me militat, hisce non immora-
 bor, sed potius ad reliqua verba confutanda propero.

(m) lib. 5.
 Pract. p. 6. f. x.
 c. 3. p. 673.

XXIII.

C 2 Est

(k) ρίς ὀξεῖα, ὀφθαλμοὶ κροῖλοι, κροτάφοι συμπεπληκότες,
 ὠτι ψυχροί, καὶ ξυνεσαλμένα. καὶ οἱ λοβοὶ τῶν ὠτων ἀπι-
 στραμμένοι. καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον σκληρόν τε καὶ πε-
 τελαμένον. καὶ τὸ χρώμα τῶν ζύμπαντων χλωρόν τε, ἢ καὶ μέλαν
 εἶναι, καὶ πελῖον ἢ μολιβδῶδες.

XXIV.

Est autem hic eorum tenor: *Qualis color hepatis, talis in vultu efflorescit.* Eja jecur insolens, certè nimis multa, & quidem absque omni fundamento, tibi attribuis, dum colorem faciei ex tuo colore deducis, & talem tantum in vultu efflorescere contendis, qualem tu possides; cum tamen ipse Tuus *Riolanus* aliud doceat, dum quodam in loco (n) egregiè demonstrat, quod, *qualis humor in venis dominatur, talis quoque in vultu efflorescat, colore designatus.* Dixi autem absque omni fundamento Hepar hæc sibi tribuisse. Nam colorem cutis, atque ita & faciei, non ab hepate, sed ab humoribus in corpore prædominantibus, omnes ferè deducunt Medici.

(n) Antrop.
I.4.c.3. p.267.

XXV.

Colligitur id ex ipso quoque *Hippocrate*, qui colorum corporis mutationes ex sanguine, aut humore in venis prævalente, derivat, dum inquit: (o) *Colorum mutationes contingunt, hoc (thorace intellige aut corde) venas constringente & laxante. Laxante igitur, colores rubicundi fiunt, bene colorati & pellucidi, constringente verò, ex virore pallidi & lividi. Qui certè evariant, prout presentes cuiq; adsunt colores.* Quid quæso his clarius veriusque dici potest? Ita etiam Vir incomparabilis *librum* suum *de Humoribus* (p) his incipit verbis: *Humorum color, nisi ij ad profunda corporis se receperint, velut in cute efflorescens conspicitur.* Quibus expressè docet, colorem cutis pro ratione humorum in corpore abundantium variari, & hinc cutem in sanguineis rubram aut roseam; in biliosis subflavam; in melan-

(o) de ofs.
Nat. p. 280.
l. 22.

(p) 47. l. 7.

(o) Καὶ τῶν χρωμάτων αἱ μεταβαλαὶ γίνονται, ταύτης (καρδίας) ἀποσφιγγέσης τὰς φλέβας, ἢ χαλώσης. χαλώσης μὲν ἔν, ἐρυθρὰ τὰ χρώματα γίνονται, ἢ εὐχροα, διαφανέα. συνσφιγγέσης ἢ χλωρὰ ἢ πελιδνὰ. τὰ πιαῦτα ἢ παραλλάσσει ἐκ τῶν παρεόντων ἐκάστῳ χρωμάτων.

(p) Τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν, ὅκκ μὴ ἀμπωτὶς ἐστὶ τῶν χυμῶν, ὡσπερ ἀνθρώπων.

lancholicis fuscam aut nigram; & in phlegmaticis albam aut pallidam apparere, prout scilicet hic vel ille humor in corpore abundat. Colores namq; (q) neq; in anni temporibus, neq; in aquilona- (q) p. 51. l. 32. libus, neq; in australibus constitutionibus similes sunt, neque in etatibus, neq; cum sibi quispiam, neq; cum alter ad alterum conferuntur.

Adstipulatur Hippocrati Galenus, qui itidem passim cu- XXVI. tis colores ab humoribus deducit, & tales totius corporis vel partium colores esse docet, quales humores in eos influunt. Audiamus Virum Multiscium. Colores, inquit, (r) mutabuntur succorum occasione, qui à naturali specie recesserunt, vel qui in altum corpus sunt reversi, vel cutem veluti (r) de symp. cauf. l. 3. c. 5. cl. 3. f. 30. A. perfuderunt. Et mox: (s) Omnis vitiosus succus sua specie (s) L. cit. etiam totius corporis colorem alterat, ut in morbo regio, & hydericis & elephantia, & splenis & jecinoris imbecillitate. Existit autem ad portionem & in quacunq; particula, coloris mutatio. Et alibi: (t) Color à succis provenit, non ex solidis animalis par- (t) de sanit. tu. l. 4. c. 4. cl. 2. f. 84. A. tibus, &c. Nam si nec ambientis violentia calidi frigidive, nec ullus animi affectus subsit, certissima succi animalis cognitio ex

C 3 colore

(q) Τα χρώματα ἔχ ὁμοία ἐν τῆσιν ὥρησιν, ἔδ' ἐν βορείοι-
σι καὶ νοτίοισιν, ἔδ' ἐν τῆσιν ἡλικίησιν, αὐτὸς πρὸς ἑαυτὸν. ἔδ'
ἄλλ' ἄλλω ἔδ' ἐν.

(r) χρώματα μὲν ἐν ὑπαλλαχθήσεται, διὰ τὰς χυμὸς ἐξ-
ισαμένους τῆς καὶ φύσιν ιδέας, ἢ ὑπονοσθῆσιν εἰς τὸ βάθος,
ἢ οἷον Ἰπικλύζοντας τὸ δέρμα.

(s) ἡ κακοχυμία πάντα καὶ τὴν ἑαυτῆς ιδέαν ἀλλοιοῖ καὶ τὴν
ἅπαντα τὰ σώματα χροῖαν, ἐν ἰκτέροιστε καὶ ὑδέροισ καὶ ἐλέ-
φασιν, καὶ σπληνὸς καὶ ἥπατος ἀπνοίας.

(t) τὸ γὰρ χρῶμα τῶν χυμῶν ἐστίν, καὶ τῶν σερειῶν τὰ ζῶα μο-
ρίων, &c. χωρὶς ἣ τὰ βιάζοντα τὸ πρῶτον ἐξωθεν ἢ τοι-
ψυχρὸν ἢ θερμὸν, ἢ τί παθῶν, ἀψευδῆς ἐστίν ἢ ἐκ τῆς χροῖας
τὰ ζῶα διὰ γινώσις τῶν χυμῶν.

(u) Comm.
in 1. aph. 2.
Ext. f. 3. D.
de Elem.
1 2. c. 2. cl. 1. f.
9. A. Comm.
1. in Hipp.
de humorib.
t. 1. cl. 3. f. 226.
seq. & c.
XXVII.

colore datur: Et hanc suam sententiam Vir summus hinc inde (u) sæpiùs repetit, coloremque cutaneum non hepatis, sed succis seu humoribus in corpore contentis acceptum fert.

Sed mittamus autoritates, cum plurimæ pro nobis militent experientiæ. Cur amabò Ictericorum corpus totum croceum cernitur? quia scilicet hepate aut folliculo fellis officium suum non faciente, bilis retinetur, retenta redundat, redundans in cutem effunditur. Cur Scorbuticorum facies pallida est, & livida quasi, aut ex pallido in fuscum vergens? quia nimirum sanguis eorum, ichorosis nigrisque humoribus inquinatus, partibus vultûs affunditur. Cur Cachecticorum cutis pallefcens, livida & plumbea conspicitur? quia nempe humorum serosorum, crudorum & pituiformium in corporibus istis magna reperitur quantitas. Et sic in aliis. Nec est quod quis excipiat, hæc in statu solum præternaturali locum habere, hepatis autem verba de naturali tantùm constitutione esse intelligenda. Nam neque sic quicquam evincit. Cum in naturali statu color cutis floridus etiam à floridis tantùm succis ortum habeat, quorum officinam hepar esse quis solidè probabit?

XXIIX.

(x) Argent.
in art. medic.
Gal. Comm.
2. de signis
c. 8. p. 213. A.
XXIX.

Cum igitur color cutis, (verba sunt Argenterii) (x) efflorescat ex humoribus subjectis, talam oportet fieri colorem, qualem requirit proportio humorum, à quibus fit, non qualem hepar præ se fert.

Tandem ultimum Hepatis medium, quo principatum sibi deberi contendit, hujus est commatis: *Quin etiam pulsus index & internuncius est meæ aegritudinis.* Sed quid tum? An quia pulsus aegritudines Hepatis indicat, Hepar corde erit præstantius? Neutiquam. Quemadmodum enim pius ac fidelis Oeconomus damnum sibi

sibi suisque ex unius suorum domesticorum infortunio imminere prævidens, ei mox succurrit, & ut restituatur, omnibus contendit viribus: ita etiam ego, utpote, verissimus corporis Oeconomus, videns, ex ægritudine hepatis mihi tandem reliquisque visceribus damnum enasci posse, illud mox pulsu artèriarum indico, ut malum hoc tempestivè emendetur, & in primâ, quod dicitur, herbâ suffocetur. Quod si verò omnes illum Oeconomi conatum extollunt, ut extollunt, cur quæso hæc pietas mea in pejorem rapitur partem?

XXX.

Et hæc de primo disceptationis nostræ capitè, Principatu scilicet, de quo plura alia adhuc addere possem, nisi *Triumphus* suprâ citatus hoc labore me sublevasset. Descendo ad secundum Controversiæ nostræ membrum. Quemadmodum enim jecur in Querimoniâ suâ satis frigidè se extorum esse caput probavit, ita etiam non minùs iniquè *se Principum cæterorum viscerum esse* jactavit, idque paucissimis, attamen minimè veris, verbis. *Ex me,* inquit, *reliqua viscera dependent.* Antequam ad hæc respondeamus, duo præmonenda veniunt: quorum prius est, quasnam partes, hîc per viscera intelligat Hepar? posterius, quomodo ea à se dependere velit. Neq; enim, quod doleo, mentem suam satis apertè explicavit Hepar, quia, ut reor validis rationibus, quibus petitum suum stabilire potuisset, caruit. Ego tamen divinando mentem ejus assequar.

XXXI.

Et quidem quod ad prius, cum Hepar Haruspicibus tantam auctoritatem tribuat, ut & ex eorum consensu se principem corporis partem esse gloriètur, non dubito, quin hic per viscera eas intelligat corporis partes, quas, cum inter reliquas maximè extare videantur, Aruspices Extæ appellarunt. Earum recensente *Riolano* (y) septem

(y) Antroph.
l. 2. c. 21. p. 121.

pté numerarunt, quæ sunt Cor, Jecur, Splen, Stomachus, & duo Renes. Et hæc sunt illa viscera, de quibus hic loquitur Hepar. Quod verò ad posterius, ut patetis me expediam, autumo, quod hepar eatenus reliqua viscera à se dependere velit, quatenus se vasorum, (quæ viscerum stamina quasi & fundamenta consensu omnium Medicorum audiunt,) primum principium credit. Hujus verò falsitatem si demonstravero, quid nisi uno ictu totam de dependentia viscerum hepatis arrogantiam prostravero?

XXXII. Ut verò eâ, quâ decet, methodo demonstrationem illam aggrediar, sciendum, me hîc per vasa intelligere organa illa corporis humani, per quæ, ceu per rivus quosdam, aut canales, materia ad partes fertur. Hæc vasa ratione materiæ, quam vehunt, quadruplicia meritò statuntur. Ita ut alia vehant chylum, quæ chylifera vocantur; alia sanguinem, quæ Sanguifera dicenda; alia spiritûs animales, quæ Spiritifera nominanda; alia deniq; serum, quæ Serifera nuncupanda. *Chylifera*, communiter *Lactea* dicta, sunt vel mesenterica, quæ chylum in intestinis sugunt, & in glandulam mesenterij mediam, adeoq; in subjacens Receptaculum eruçant: vel Thoracica, quæ chylum ex Receptaculo ereptum in axillarem evomunt. *Sanguifera* vel deferunt sanguinem à corde ad partes pro nutritione earum, dicunturque communiter *Arteria*; vel referunt sanguinem à nutritione partium supervacaneum à partibus ad Cor, & vocantur *Vena*. *Spiritifera* itidem sunt duplicia, vel enim deducunt spiritûs animales pro sensu & motu ad partes, quod *Nervi* faciunt; vel reducant spiritûs animales superfluos, in partibus condensatos, & in aquam conversos à partibus, quod *Vasa Lymphatica* præstant. Tandem *Serifera*, aliàs *Ureteres* dicta, serum

rum in renibus à sanguine segregatum in vesicam urinariam ferunt.

His dictis non sine causâ quæro, quænam horum vasorum ab hepate dependeant? Non sanè *Ureteres*. Nam, utut de horû vero principio nō cōsentiant Autores, nunquam tamen hepar in controversiam vocant. *Riolanus* *Ureteres* non à renibus, sed potiùs à vesica oriri scribit, (a) *cum quia membranosi sunt, tum quia integri à renibus separari queunt.* Adstipulatur *Riolano Plempius*, qui contrarium sentientes duplicis erroris insinulat, (b) & quidem primò, quia verius nulla pars ab alterâ oritur: secundo, quia etsi pars aliqua ab aliâ oriretur, ut tamen hoc fieret, deberet altera alteri substantiâ esse similis, quæ similitudo inter renes & ureteres non intercedit, sed inter hos & vesicam, ut videre licet. Verùm nec similitudo (verba sunt *Cl. Th. Bartholini*) (c) *cum vesicâ nos movet; quia 1. ureterum peculiaris ab utroq; distincta est natura, ipso etiam fatente Riolano.* (d) *2. renum ventriparum absimiles. 3 non omnia referunt naturam sui ortûs aut colorem, ut in aortâ & cavâ videmus. Neq; cohesio cum vesicâ quicquam infert, cum arctior hic quàm in renibus non sit, commode inter membranam vesicæ & muscolum separabilis.* Unde rectè *Divinus Senex*: (e) *Ren cavitate suâ ad magnas venas situs est, unde procedunt ex ipso vena in vesicam.* Cui consentientem *Galenum* (f) haud grave foret adducere; nisi ipsa hîc natura militaret.

Nec *vasa Lymphatica* ab Hepate dependere jure quis dicet, si consideret, quod paucissimi eorum rami tantum ex hepate oriantur, plurimi verò vel ab aliis visceribus, vel ab extremis partibus seu artubus. Digna sunt Lecto-

D rum

(e) Ο δ' ἐνεφρὸς τὰ κοῖλα ἑαυτῶ πρὸς τὰς φλέβας ἔχων καὶ τὰς μεγάλας, ὅταν ἐκπιφύκασιν ἐξ αὐτῶ αἱ φλέβες, αἱ εἰς κύστιν.

XXXIII

(a) Enchirid.
l. 2. c. 29. p. 150
Anthr. l. 2.
c. 27. p. 147.
(b) Fund.
Med. l. 2. c. 8.
p. 158.

(c) Anat. Ref.
l. 1. c. 19. p. 125.
126.

(d) Anthr. l. c.

(e) de off.
Nat. p. 274.
l. 35.

(f) de usu
part. l. 5. c. 15.
cl. 1. f. 146. C.
& de Anat.
viv. sp. f. 52.
D.

XXXIV



(g) de vas.
Lymphat. in
brutis. c. 5.
p. 32.

rum auribus sequentia, primi horum vasorum tam in homine quam brutis Inventoris, Oculatissimi Th. Bartholini verba: Exortus, inquit, (g) Lymphaticorum vasorum est ab extremis partibus seu artibus. & visceribus, hepate nempe, ex quo cum ramis portae prodeunt, vesicula felle, &c. Quae parte vero ex artibus prodeant, an a venarum extremis, vel muscuculis, necdum oculus assequi potuit, ob vasorum subtilitatem. Conjectura si quis locus, a partibus nutritis debent emergere: quanquam nec a venis capillaribus impossibilis est exortus. Qui in nervis circulationem admittunt, nullam commodiorem hanc viam inveniunt, &c. tumq; ex nervorum summis particulis progredierentur. Haec est illa verissima de vasorum aquorum exortu sententia, quam subsequens diversorum Anatomicorum examen adeo comprobavit, ut magnos Riolani insultus huc usque sustinuerit.

XXXV.

(*) de Corp.
Hum. Fabr.
L. 4. c. 1. p.
107.

Præterea neque etiam Nervus hepatis suum debent ortum. Magnum quidem semper fuit inter eruditos de nervorum ortu certamen, nullus tamen, ut optime observavit Optimus Vesalius, (*) Jecur aut aliud ejus generis viscus nervorum judicavit esse principium. Quia tamen aliqui nervos venarum propagines crediderunt, vel hac ratione ab hepate eos derivandos esse instare quis posset. Verum præterquam quod falsum sit, ab hepate venas oriri, ut mox patebit, durum quoque est credere, esse nervos venarum propagines, cum nedum quidem ullius ocularis demonstratio confirmaret, apparere in cerebro nervorum venarumque conjunctiones. Certum namque est, quod Principium dispensationis, vel pars, unde origo nervorum immediata, est medulla oblongata. prout partim est intra cranium, partim extra in spina. Et haec verissima sententia non tantum ex similitudine substantiarum medullaris & nervalis, verum

verum etiam oculari experientia confirmatur, ut verissime testatur Cl. Bartholinus, (h) consentiente Riolano. (i)

Verum de Venarum principio quid dicam? Scio, quanto sibi haecenus artificio hepar hunc honorem ascripserit, adscriptum defenderit, attamen omnino repugnante Natura. Nolo jam ea, quae in hanc sententiam in *Triumpho* mihi erecto, prolata sunt, repetere. Utinam remotis mediolorum velis ipsam naturam consulant adversarii, & num hepatis, an vero mihi firmiter venae implantentur, ipsis suis oculis perspiciant, sponderem sane mihi, si non omnium, plurimorum tamen assensum. Ipse certe *Riolanus*, maximus hepatis defensor, autopsia victo calculum suum jecori denegavit. Sic autem ille: (l) *Truncus vena cave vulgo dicitur oriri ab hepate, & dividi in truncum superiorem & inferiorem, quasi essent separati, ut in caudice Aortae emergentis à Corde: sed ocularis investigatio demonstrat, truncum vena cave esse separatum ab hepate, quod subsus perreptat, &c.* Verissime igitur Divinus *Plato* (m) me *Fontem venarum*, & *Aristoteles* (n) *Principium venarum* vocarunt.

Multò minus autem *Arteriarum* Principium credendum est hepar, cum omnium ferè Medicorum applausu, & ipsius Naturae assensu, haec solae meae sint filiae, mea proles. Has enim, licet eas cum venis gemellas produxerim, surreptis tamen venis, & quasi ex sinu meo abstractis, solas haecenus mihi insolatium inviolatas reliquerunt Mortales, atque intaminatas. Nec nisi se piaculari, culpam notassent, aliter facere potuissent. Adeò enim manifesta est arteriarum in sinistro meo thalamo radicata,

D 2

utin-

(m) πηγὴν τῶν φλεβῶν.

(n) ἀρχὴν τῶν φλεβῶν.

(b) Anat. Ref. l. 3. c. 3. p. 317. & libell. 3. c. r. p. 449.
(i) Anthrop. l. 4. c. 2. p. 262.
XXXVI

(l) Enc. Anat. l. 2. c. 27. p. 139.

(m) in Timzo p. 70. A.
(n) de Part. An. l. 3. c. 4. p. 1151. D.
XXXVII

(o) de Hipp.
& Plat. Decr.
l. 6. c. 3. f. 262.
F.
(p) L. c. G.

ut incomparabilis Galenus (o) non sit veritus in hac prorumpere verba: *Summa impudentia est, velle aliud viscus, quam cor Arteriarum principium constituere.* Et mox (p) *Quod si affirmare, aliunde originem arteriarum existere, summa impudentia censerur, restabit, ut maximas arteriarum partes minimarum esse principia statuamus: at maxima latissimaque, ex omnibus animalis arteriis procul dubio illa sunt, quae ex corde proveniunt.* Ah! utinam idem de Venis pronunciaffet! Certè optimo jure id facere potuisset, cum etiam maxima latissimaque venae ex corde, non verò aliunde, procedant.

XXXVIII

(q) pag. 3.

(r) Dub. de
Lact. c. 4. p. 29

Restant *Lactea* utraque, quae, sicut distincta sunt à venis mesaraicis vasa; (ex mesenterico namque ramo venas *Lacteas* derivari, nemo in sectione animalium versatus ausit affirmare. Nihil tale oculus vidit, aut manus detexit, & usus utriusque reclamat; inquit Cl. Th. Bartholinus in defensione *Thoracicarum Lactearum*, (q) quam masculè contra *Riolanum* instituit;) ita etiam nullo modo ex hepate oriuntur. Non sanè *Lactea* mesentericae. Harum enim, post *Lymphaticorum* felicissimam detectionem, nulla omninò circa hepar apparent vestigia. Verissimè enim & hinc candidus *Bartholinus*: (r) *Quum nullas ad hepar lacteas observaverim, quosque credidimus lacteas, esse lymphatica vasa, aquam ex hepate referentia ad receptaculum, mutare sententiam cogor,* & re-

(o) ἀναίχυντία πάντως γὰρ ἐστὶν ἄλλο ἢ ἀσπλάγχνον δετηριῶν ἀρχὴν ὑποθέσθαι.

(p) Εἴπερ ἀναίχυντόν ἐστι, τὰς δετηρίας ἐπιώθεν ἀρχεσθαι φάναι, τὰ μέγιστε μόρια τῶν ἀρτηριῶν ἀρχαὶ τῶν μικροτέρων γνήσονται. (Ὁρύεται δὲ ἀπασῶν εἰσι τῆς ζωῆς ἀρτηριῶν αἱ τῆς καρδίας κενφύμεναι.)

Et receptaculum solum pro loco communi agnosco, in quod omnes Lactea confluunt, & Lymphatica ipsa nostra infra diaphragma. Aut igitur è receptaculo & glandulis ortum suum trahunt Lactea mesentericæ, & in intestina desinunt; aut ex intestinis exoriuntur & in receptaculum commune terminantur, ut Viris Cl. *Deusingio* (s) & *Glissonio* (t) placuit. Multò verò minùs Thoracicæ ab hepate propullulant, quipq̃ quæ cum eo nullum omninò commercium habent, sed inter receptaculum chyli, glandulasque lumbares Bartholinianas, & axillarem sinistram ita feruntur, ut aut hîc aut ibi oriantur.

(s) Inst. Anat. part. 7. c. 3. par. 1. seq. (t) de Anat. Hep. c. 45. p. 440.

XXXIX.

Liquet igitur ex hætenus prolatis, præter quorundam ramorum Lymphaticorum, nullius vasis principium esse jecur. Liquet etiam, quàm minùs verè hepar ex se reliqua viscera dependere dixerit. Quem honorem quamvis arroganter mihi non tribuam, tribuit tamen ultrò ipse *Riolanus*. Ne & hîc præter fidem quicquam dixisse videar, Viri Summi ipsissima referam verba, iudicium iudicibus relicturus. Sic autem ille: (u) *Inter partes corporis nulla deprehenditur tanto artificio tantoq̃, apparatu exornata, sicuti Cor, (NB.) quia principium totius corporis debuit in se continere omne id, ex quo reliquum corpus conflatum, inquit Avicennas, adeò ut in corporaturâ cordis omnis corporis partes similes reperiantur, ac si deberent cordi suum ortum. Nam invenies in Corde carnem, membranam, cartilaginem, ligamenta, fibras, venas, arterias, nervos, ossiculum, adipem, & interdum pilos, quando pilosum evadit, unde colligere licet, (NB) Cor esse fundamentum reliquarum partium corporis. Hæc Riolanus.*

(u) Anthrop. l. 3. c. 12. p. 232.

XL.

Ast confero me ad *Primogenituram*, quam sibi hepar his verbis ascribit: *Primogenituram non cedam cordi, quod sui principium obtinet in guttâ sanguineâ, in ovo latente: Con-*

D 3

similis



similis est in animalibus exortus, corcusculum palpitat, quia animatum à sanguine. Testem appello Harveyum, qui sanguinem ortum & motum infundere cordi affirmat. Ex his tale formatur consequens: Quia cordis, cum materia, tum motus causa solus est sanguis, merito is corde prior existet; Cum verò sanguis ex adversariorum mente nullibi nisi in hepate generetur, utique & hepar corde prius existet.

XLI.

Verum hæc omnia falso isto nituntur argumento: sanguinis officinam non esse Cor, sed Hepar. Hoc autem fundamento labefactato, merito speciosum à jecinore superinstructum ædificium corrui. Falsum quippe est, quod Hepar sanguificationis verum & genuinum sit organum, quia falsa sunt media, quibus sibi officium hoc vendicat, ut postea patebit. Quod verò Primogenituram attinet, nolo jam, quæ hoc in puncto in contemptum meum proferuntur, enarrare, nec illa, quæ pro me in *Triumpho meo* adducta sunt, repetere. Imbecillo certè stant pede media illa ex hepatis Querimoniâ paulò ante pro suâ Primogeniturâ citata, cum sanguis neque sit materia mea, nec motus mei causa.

XLII.

Nego, inquam, *me primordium meum obtinere à gutta sanguinea*, quia, plurimorum Medicorum consensu, omnium viscerum primordia seu prima stamina ex semine sunt conflata. Confirmat id Physiomystrarum experientia, qui abortum primorum dierum ex fibris albis lacteis constare testantur. Neque repugnante ipso *Hippocrate*, quippe qui in geniturâ, sexto post conceptionem die rejectâ, itidem *fibras albas & crassas* (vitium subest typographicum in versione latinâ *Fæsi*, nec emendatum in recentissimâ Editione ubi pro *crassa* malè legitur *tenuis*.) in membranâ annotavit. (b) Nec

(b) de Nat.
pueri.
p. 236. l. 43.

(b) ἐν δὲ τῷ ὕμνῳ ἐφαίνονται ἐκείσαι ἵνες λευκαὶ καὶ παχῆαι.

Nec ferit me *exemplum ab ovo* desumptum, quo pri- XLIII
 mogenituram suam firmare contendit jecur, dum *in ovo*
guttam sanguineam latere dicit. Nam concedimus ei liben-
 ter, & ultro damus, guttam illam sanguineam prioribus
 incubationis diebus latere in ovo. Quid verò inde? An
 ideò corculum non aderit, donec se exserat gutta illa &
 salire incipiat? Minimè. Unde enim gutta illa? Sed,
 non adfit Cor, donec gutta appareat, quid tùm? Atqui
 gutta nihil aliud est quam Cor. Quod olim jam observa-
 vit *Aristoteles*, qui in gallinarum ovis, tertio post incuba-
 tionem die, in majoribus verò avibus paulò tardiùs Cor,
 quasi punctum sanguineum, in candido liquore consistere,
 punctumq; illud salire jam & moveri in animal, scribit. (c) (c) de hist.
Anim. l. 6. c. 3.
T. 1. p. 961. A.
 Nec citra recentiorum applausum. Sic enim laudatissi-
 mus ille Naturæ Promus condus *Aldrovandus*: (d) *Si pueri* (d) Ornith.
l. 14. c. 1. p. 101.
b.
generatio in utero eodem modo se habeat, ut in ovo, quod doctis-
simis verbis docere Hippocratem, Medicorum Coryphaum, o-
stendimus, ut ex sanguineâ illâ guttâ Cor generetur, quod ex
palpitatione, qua solius cordis passio est, Aristoteles Pliniusq;
proban, & ego meis oculis vidi, non video, quomodo Galeni
doctrina defendi queat, dum jecur primum nasci putat. Quò
minùs enim hujus partes agam, mihi obstat propria observatio.
 Consentit Ill. *Harveus*, (e) qui ideò & *Fabricium ab Aqua-* (e) Exerc. 17.
p. 66. & 27.
pendente reprehendit, quod punctum hoc pro corpore
 foetus acceperit: & *Aldrovandum*, quod fucceflu tempo-
 ris alterum punctum saliens pro jecore venditârit.

Neque obstat, Cl. *Harvei* assertio, quam hepar hîc mi- XLIV.
 hi objicit, qui mihi à sanguine ortum infundi affirmat.
 Fecit namque hoc *Harveus*, quia credidit, ex sanguine &
 per sanguinem omnia fieri. Ne verò quis putet Naturæ
 Filium

(c) Ὅσον εἰς γὰρ αἱματίνην ἐν τῷ λευκῷ ἡ καρδία, τῆτο ἴ-
 τὰ σημεῖον πηδᾷ καὶ κινεῖται, ὡσπερ ἐμψυχον.

Filium *Harveum* hepatis adeò favere, legat, quæso, sequentia ejus verba: *Absona*, inquit, (f) *prorsus est eorum sententia*, (quanquam olim hodieq, passim obtinuit) qui *jecur sanguinis officinam & autorem esse adstruunt*, eorq, nomine ipsum inter præcipuas, primosq, *genitas corporis partes recensent*. Quin etiam tanto viscus hoc honore dignati sunt, ut statim ab initio unà cum corde è matris semine oriundum dicerent; *fabulamq, de tribus capellis, vesiculis nempe fictitiis, acriter nimis defenderent*. Equorum numero *Parisanus nuper, magno quidem, sed imprudenti animo, veterem cantilenam cecinit*. Non animadvertenterunt scilicet hi boni viri, *vesiculas in ovo moveri, cormicare, sanguinemq, jam perfectè coctum adesse, antequam hepatis vola aut vestigium conspiciatur*. Profectò sanguis potius ipsius Hepatis efficiens, (quàm hoc illius autor) censendus est. Nam post sanguinem, & ab ipso Hepar generatur, *vasisq, sanguineis adnascitur*.

XLV. Sed nego prætereà, quod motus meus à sanguine dependeat, ut quidem Hepar somniat, dum inquit: *Corcusculum palpitat, quia animatum à sanguine*, & dum, ut eò majorem sibi concitet assensum *Harveum* testem adhibet, quem, quod sanguis motum mihi infundat, affirmasse, scribit. Verùm respondeo ad hæc omnia sequentibus *Riolani* verbis: (g) *Motum corporis non pendere ab affluxu sanguinis, ut statuit Aristoteles & Harveus confirmavit, inde manifestè probatur, quia Cor palpitat statim atq, formatum est, ut in ovis triduo incubatis à Gallinà observatum fuit: At tunc temporis Cor nondum excavatum est, nec admittit sanguinem, non cavitatibus efformatis. Accedit quòd Cor evulsam & resectum à suis vasis in animali vivente aliquandiu palpitare deprehenditur, sine ullo appulsu sanguinis. Ergò facultas pulsifica cordi insita est, nec pender ab appulsu sanguinis, quoad productionem; sed de continuitate motus verum est.*

(g) *Anthrop.*
l. 3. c. 12.
p. 240.

Sic

Sic igitur medijs, quibus pro Primogeniturâ pugnavit Hepar, feliciter discussis, patet, quanto jure laus primogenituræ mihi competat. In cujus fidem alia quoque adducere possem, nisi me hoc labore ipse sublevâsset *Riolanus*; quippe qui (h) Acutissimi *Cremonini* rationes, quibus me primùm generari & perfici probat, paucis comprehensas adducit, laudat, illustrat, atque defendit. Quare ad eum Lectorem curiosum plura desiderantem remitto, ut videat, quanta *veritas* sit (verba sunt *Avicenna*)

(h) L. cit. 1. 6.
c. 6. p. 385.

(i) quod primum membrum, quod creatum est Cor.

(i) Can. 1. 3.
fen. 21. tract.
1. c. 2. p. 920.
b. lin. 57.

Restat tandem nobilis illa *Sanguificatio*. Hoc fanè minus licet jam à condito mundo, ita jubente ipso rerum sapientissimo conditore benignissimaque Naturâ, quam diligenter semper confecerimus, non defuerunt tamen qui me, non quidem labore, sed tantùm honore *αἱματώσεως* spoliare, eumque Hepati ambitioso deferre tentârunt. Nolo diversam meam fortunam ab ovo, quod dici solet, usque ad mala citare, factum id ex parte in *Triumpho meo* sæpius citato. Id solùm dico, satis me mirari non posse insolentiam Hepatis, quod, etsi post inventa ante decennium à Clarissimo Orbis Urbisque Hafniensis Anatomico *Thoma Bartholino* vasa Lymphatica, omni jam sanguificationis spe apud eos exciderit, quorum manus oculatæ soli credunt *εγχειρήσει*: argutis tamen mediis suis me denuò de Throno meo, tùm feliciter conscenso, dejicere, frustrâ licet, tentet. Cujus tela per *Bilsum* nuper maximo conamine in me coniecta, quia fortissimè excepit, atque hepati remisit *Bartholinus meus*: (l) Ego jam unicè operam dabo, ut, quicquid jecur in Querimoniâ suâ hanc controversiam concernens per *Riolanum* protulit, brevissimè solùm diluam.

XLVII.

(l) in Spic. 2.
ex V. L. c. 7.
p. 33. sequ.

Sunt autem hæc Hepatis verba: *Corde permixtum est jecusculum, & separatum laborat pro Corde, sanguinem & spi-*

E ritus

ritus ei subministrando, cum nullam recipiat materiam nisi ab Hepate, imò plures partes meo sanguine solo nutrio, quàm Cor arterioso è meo sinu deprompto vivificat; ut insigni tabulà demonstravit Vesalius. Ad hoc opus possideo fabricam internam exquisitè accommodatam; Etenim chylum exceptum distribuo quoquo versus per meam substantiam, ut contactu & foru convertam in sanguinem, quem postea à refundo Cordi vicino, quod alioqui brevi periret, nisi continenter ei opitularer ad restaurationem Humidi Primigenii, & sui motus conservationem. Admissum sanguinem Cor momento transmittit in arterias, calore & spiritu duntaxat auctiore imprægnatum. Natura nos sociavit inseparabili consortio, ut mutua nobis traderemus officia, per varias Anastomoses vasorum, in diversis locis constitutas. Eadem natura in corporis conformatione sanguinem maternam per umbilicalem venam ad Hepar assidue dirigit, priusquam ad Cor perveniat, ut eum ipsi prepararem, istamq; gratiam à me reciperet. Haecenus Jecur.

XLIX.

Verùm partim falsa, partim adulterata sunt omnia, quæcunque à Jecore dicta sunt. Cordi, inquit, permixtum est jecusculum, & separatim laborat pro Corde sanguinem & spiritus ei subministrando. Nego consequentiam. Concedo quidem mihi permixtum esse jecusculum, nimirum eo modo, quo Dominis famulatio permiscetur servi, Regibusque subditi: Concedo quoque jecur separatim laborare pro me, scilicet pari quoque modo, quo servus laborat pro Domino; ut nempe heterogenea à sanguine, per circulationis leges hepar transeunte, segreget. Ast nego Hepar subministrare mihi pro alimento sanguinem & spiritus.

L.

Nam, ut de his primò agam; quos quæso spiritus mihi subministras, iniquum Jecur? dic sodes. Non certè *Animales*, cum eorum officina sit ventriculus medullæ oblongatæ nobilis. Neque etiam *Vitales*, qui à me ipso elabo-

elaborantur; Anverò *Naturales*? Atqui de horum existentiâ plurimi Medicorum dubitant. Et meritò, cum omninò nulla adsit necessitas, quæ spirituum horum generationem evincat. Adde quod & moderna inventa, Hepati sanguificationem denegantia, & circularis sanguinis motus contrariam sententiam refellant. Imò quamvis hæc cuncta non admittantur, non tamen spirituum naturalium existentiâ statuenda videtur. *Nam*, (verbis utor Clariss. Kypri) (a) *Physicis sanè principiis repugnat, dari aliquem spiritui vitali priorem, qui nutritioni inserviat. Etenim si nutritio non antecedit vitam neq; instrumentum nutritionis prius esse potest instrumentum vite. Et ideò vitalis spiritus prior aut saltem non posterior esse potest naturali spiritui. Imò quandoquidem vite propria functio nutritio est, idem videtur esse spiritus vitalis & nutritivus.*

Vid. Epist. annexam
Dissert. Nostræ de Quid-
dit. & Mat. Lymph.
Barth. pag. 39. & 40.

(a) Anthropol. c. 15. parag. 16. p. 371.

Sed placet hîc facilitatem aspergere & concedere, dari spiritûs naturales, eosdemque mihi ab hepate ministrari. Quo amabo vehiculo mihi eos transmittit? An forsan, quod vulgò à Medicis quibusdam responsum est, beneficio sanguinis à jecinore elaborati? Ast nego jecur sanguinem conficere, quia nullum recipit chylum. Non recipit autem chylum, quia à naturâ nulla obtinuit vasa, chylo ferendo dicata. Hinc quamvis per venam cavam sanguinem ab hepate hauriam, cum tamen iste sanguis non sit in hepate genitus, sed per circuitum pro depuratione suâ eò missus, non video, quomodo Hepar spiritus mihi transmittere possit, cum omnino nullos generet. Taceo, quod sanguis ille venosus, à jecore per cavam mihi suppeditatus, cum chylo ex lacteis thoracicis affluente confundatur, antequam dextrum meum thalamum ingrediatur.

LI.

Verùm necesse jam est, ut etiam paucis demonstrarem, quod hepar ne unicam quidem guttulam sanguinis, tam

LII.

pro me, quàm pro reliquis partibus elaboret, aut elaborare possit. Dicit quidem iniquum viscus, *me nullam recipere materiam alimentarem, nisi ab hepate; imò plures partes suo sanguine solo se nutrire, quàm ego arterioso sanguine è sinu hepatis deprompto vivifico.* At falsa dicit. Enarrarem breviter verissimam, & ipsâ experienciâ confirmatam de αἱματώσει sententiam, nisi id in *Triumpho meo* jam factum fuisset, quò Lectorem remitto, ne eandem cantilenam cum nausèâ repetere cogar. Certè lectâ ibidem laudatâ doctrinâ, quivis, qui gratiæ non est obnoxius, facile videbit, per se corruere omnia hepatis media.

LIII. Videbit, inquam, quàm falsò Hepar jactârit, recipere me ab eo materiam alimentarem pro nutritione meâ. Licet enim aliquid sinui meo dextro ex hepate per venam cavam (ut & paulò ante (c) monui) infundatur, id tamen omne non est sanguis in hepate genitus, sed aut superfluus, aut ex nutritione, tam totius corporis, quam hepatis ipsius, residuus.

(c) Par. LI.

LIV. Simili quoque ratione videbit, quàm falsò hepar jactârit, *se plures partes suo sanguine solo nutrire, quàm ego arterioso, ex ejus sinu deprompto, vivifico.* Nam, quæ quælo sunt illæ partes? imò, quonam sanguine alit eos? atqui nullum conficit, nec etiam continet talem, qui reliquis partibus alendis idoneus sit, utpote qui ideò ab ijs refluxit, ut apud me idoneitatem istam rursus adipiscatur. Adde, quod omnis iste sanguis, qui à reliquis partibus ad jecur remeat, quia per Venas fluit, venosus sit, & per venas quoque mihi tradatur. Unde & hoc concidit, quod dixit, *me ex sinu ejus arteriosum depromere sanguinem.* Imò sanè, ita veriùs dixisset: Me ex sinu suo sanguinem alendis partibus inutilem depromere, cumque in thalamis meis in arteriosum seu nutritioni aptum convertere.

LV. Sed utut ex hæcenus prolatis sufficienter elucescat, quam

quàm vana omnia sint, quæ in Querimoniâ suâ protulit Hepar. Quia tamen sanguificationem tribus potissimum medijs sibi attribuit, & ea breviter eludenda sunt.

Desumit autem primum ab autoritate Magni *Vesalii*, quem *Cor nullam recipere materiam alimentarem, nisi ab hepate, imò plures partes hepar suo sanguine solo nutrire, quàm Cor arterioso, ex Hepatis sinu deprompto vivificat, insigni Tabulâ demonstrasse* dicit; quæ tamen tabula sit illa, non addit. Verùm enim verò, nisi me conjecturæ fallunt, cum plures in *Vesalio* reperiantur tabulæ insignes, illam hîc à Jecinore notari tabulam suspicor, quæ *integram, & ab omnibus partibus liberam, venæ Cavæ delineationem, repræsentat.* (d) Hæc enim est illa, quam alibi, (e) ubi partes nutritioni famulantes breviter enumerat, indigitat Magnus *Vesalius*, hisce additis verbis: *Sanguis autem in hepate elaboratus per venam cavam copiosissimâ ramorum serie propagatam, ad corporis partes deducitur.* Sed, quicquid sit. Non rejicimus quidem magni illius Anatomici Tabulas, sed eas semper debitâ admittimus reverentiâ, hâc tamen lege, si naturam & experientiam habeant propriam. Quarum ambarum consensu quia citata tabula, quod quidem sanguinis distributionem concernit, caret, meritò hîc autoritas illius suspecta. Versabatur nimirum *Vesalius* in cõmuni illo, & omnibus Medicis sui temporis familiari opinione, qui Hepati sanguificationem attribuebant; quam suam sententiam, ut confirmaret *Vesalius*, tabulæ dictæ, dictam sanguinis distributionem appinxit. Qui tamen error meritò absque reprehensione summo Viro condonandus, quia tum temporis, tam circulatio sanguinis, quàm Lactæ Thoracicæ, & Vasa Lymphatica, omnes latuère.

Secundum argumentum depromptit jecur à corporis sui idoneitate. *Ad hoc opus, inquit, possideo fabricam*

LVI.

(d) de corp. hum. Fabr. l. 3. c. 5. p. 450. edit. Basil. (e) L. cit. lib. 5. c. 1. p. 590.



internam exquisitè accommodatam. Etenim chylum exceptum distribuo quoquo versum per meam substantiam, ut contactu & fovea convertam in sanguinem, quem postea refundo Cordi. Non jam hic multa reponam ad ea, quæ de sanguine à se præparato mihi que refuso dicit, cum id jam satis refutatum sit in præcedentibus, nimirum jecur præter illum sanguinem, qui ex nutritione partium, propriaque, tanquam indoneus & residuus refluit, nullum alium mihi refundere. Hoc solum ex Hepate quaero, cum dicat, se chylum excipere, quibusnam viis id fiat? Anxiè sanè hæctenus de viis istis semper fuerunt solliciti Autores, in quibus tamen definiendis adeò semper fuerunt diversi, ut ne Excectides quidem rectam viam invenire posse videretur. Facta est insignis hujus dissensionis mentio aliqua in *Triumpho meo*, quem & hæc de causâ curiosis commendo. Mihi verò jam sufficit, si ostendero, quod venæ mesaraicæ nullo modo chylum Hepati deferant. Has enim vias, non verò alias intellexisse Hepar, hinc fit manifestum, quia eadem est mens *Riolano*, ut ex scriptis ejus hinc inde (g) apparet, quamvis alibi (h) sententiam suam videatur mutasse. Ast apprimè huc quadrant gravissima *Cl. Bartholini* verba, qui, postquam diversas illorum opiniones, qui in venis mesaraicis tantum acquieverunt, breviter recensuit, hæc subnectit: (i) *Sed nulli ex illis Natura institutum unquam sunt assecuti. Nos tantum credimus, quantum manibus palpamus, oculisq; videmus. At in venis mesaraicis nunquam visus fuit chylus, sive dilutus, sive purus, sed constans semper & in omnibus sanguis. Revohendi verò ex hepate sanguinis officio miserè exciderunt vene, siquidem & ligaturæ in vivis, & valvularum situs demonstrant, per eas reduci sanguinis reliquias ad hepar, nihilq; remeare. Ita quoque, si forsitan cernens hos scopulos hepar arterias in venarum locum substitueret, neque sic quidem sibi consulet. Cum & in arte-*

(g) *Anthrop.*
l. 2. c. 17. p. 112.
113. de circulo
Sang. c. 15. p.
578. & in ju-
dicio novo
de venis
Lact. p. 32.
(h) *Enchir.*
Anat. l. 2. c. 21.
p. 114.
(i) de Lact.
Thor. c. 3. p. 9.

in arteriis mesaraicis nullus unquam visus fuerit chylus, & ligatura in vivis instituta probet, arterias dictas nihil ferre ab intestinis, sed omnia ad illas. Neque etiam, licet & vasa illa, quæ circa hepar conspicua, hætenus pro lacteis habitata sunt, accersantur, quicquam obtinebit jecur. Vasa namque illa, jam Lymphatica dicta, non ferre chylum ad hepar, sed potius Lympham purissimam ex hepate ad receptaculum, primus nuper probavit *Th. Bartholinus*. Nullis igitur viis chylum excipit jecur, quia omnino nullum excipit.

Quare malè quoque *fabricam suam internam* ideò ita **LIIX.** *conditam esse gloriatur, ut αἱματοποιήσει exquisitè accommodata sit.* Dicam veriore causam. Ideò nimirum à sapientissimâ naturâ fabricatum est hoc viscus, ut non chylum, sed sanguinem refluentem exceptum distribuat quoquo-versum per suam substantiam, ut ingenitâ facultate calidissimam bilem, purissimamque Lympham ab eo segreget, quem sanguinem postea ita purificatum mihi, Cordi scilicet vicino, refundit, non quidem, *ut mihi opitularetur, ad restorationem Humidi mei conservationem,* ut ibidem jactitat; sed potius ut ei opitularer, dum sanguinem hunc aliumque refluentem chylo permixtum recipio, spiritibus vivifico, & alendo toti corpori, adeoque etiam ipsi hepatis, idoneum reddo. Unde ego potius id de hepate jure dicere possum, quod de me malè dicit: *Periturum nempe illud brevi, nisi cōtinenter ei transmissio sanguine arterioso opitularer, ad restorationem Humidi sui primigenii, & corporis sui vigorisque conservationem.*

Tandem ultimum jecinoris argumentum continetur **LIX.** in hisce lineolis: *Natura in corporis conformatione sanguinem maternum per umbilicalem venam ad Hepar assidue dirigit priusquam ad Cor perveniat, ut eum ipsi preparare, istamque gratiam à me reciperet.* Sed astutè sanè verbo preparare usum est hepar. *Preparare est ante parare sibi, que utilia*

(L. S. C. 64.
P. 467.)

*Sunt, aut fore creduntur. Ideoq; Oratores præparant, quibus ob-
tinere causam possint, inquit Elegantissimus Elegantiarum
scriptor Laurentius Valla. (k) Quod si igitur hepar per
præparationem sanguinis refluentis à bile & lymphâ li-
berationem intelligit, quo dein eò meliùs & citiùs à me
vivificari, nutritionique suæ aptus reddi possit, non sen-
tiet me contrarium. Neque enim nego, quòd sanguis ma-
ternus per umbilicalem venam priùs ad hepar, quàm ad
me perveniat; imò concedo & hoc, quod id ideò fiat, ut
eum sanguinem jecur mihi præparet, hoc est, prout jam
monui, ut ea, quæ in sanguine, ex matre ad placentam de-
scendente, & hîc cum illo, qui à foetu per arterias umbi-
licales pro placentæ nutritione missus abundat, misto, vi-
gorationem ejus impedire possent, (de bile mihi inpri-
mis hîc sermo) legregentur. Quod servitium, sive quis
hepatis blandiendo *gratiam* vocet, sive alio id nomine di-
gnetur, per me licet, modò inde non concludat, esse He-
par verum sanguificationis organum.*

LX.

Et hæc sunt, quæ, quam potui brevissimè, Querimo-
niæ Hepatis reponere volui, debui. Restat quidem ad-
huc Epilogus ejus, in quo inprimis *se id à Medicis Parisien-
sibus expectare* scribit, *ut officio sanguificandi* ((quod falsò
principale suum officium vocat) *recuperato, ab iis redintegra-
tum fuisse gloriari queat, Illorum solenni decreto.* Verùm hæc
cura me non coquit; scio enim Medicos Parisienses, Vi-
ros Summos, non laturus sententiam talem, quæ naturæ
& æquitati repugnet. Reliqua autem quæ de *stibialibus sty-
gialibusq; Medicis* circa finem Hepar profert, quia mera cõ-
vicia sunt, lubens prætereo, hoc solum ab omnibus cordatis
Medicis efflagitans, ut mihi in justissimâ hâc meâ causâ amicè
succurrant, & postquàm ipsam autopsiam consuluerint, pu-
blicè exemplo aliorum iniquitatem, quâ me hætenus affecit
hepar, testentur. Ita enim confido fore, ut tandem veritate e-
mergente, omnibus hisce contentionibus felix imponatur

F I N I S.

21c 909


ULB Halle 3
005 136 75X




VD17

21c







I SEGERI
 RUNENSIS
 MPHVS
 ET
 MONIA
 RDIS.

ANNEM KÖNIG. Anno 1661.

